





SUPPLEMENTA

IN

IO. Z. PLATNERI

INSTITVTIONES

CHIRVRGIAE

AVCTORE

ERNESTO PLATNERO

INST. MED. FARM.
Biblioteca Centralia
v. Nr. 84-878

I. Z. F.



PARS I. CVM FIGVRIS.

28 JUN 2004

LIPSIÆ

IMPENSIS I. G. DYCKII MDCCLXXIII.

1743

MEDICAE HISTORIAE DISCENDAE AC SCRIBENDAE

PRAECEPTA QVAEDAM.

Iam diu versatur in ore doctorum Medicorum conquestio neglectus litterariae historiae, sine qua nemo possit ad veram medicae artis laudem ac fructum peruenire. Neque profecto opus est huius querimoniae, aut veritatem exemplis, aut magnitudinem argumentis demonstrare. Nam qui neglectum illum vel ignoret, vel aequo animo ferat, Medicus non sit. In tali autem querimonia solet omnibus in promptu esse commemoratio ignaviae ac mollitiei, quae adeo effeminarit nostrorum hominum ingenia atque consumserit, ut tali studio seriam operam dare neque velint, neque possint, quo nullum aliud maiorem laboris patientiam

constantiamque exigit. A qua ego culpa, etsi neque tirones medicae artis, neque magistros liberare possum (id quod libenter vellem), nescio tamen, illi quorundam inertiae, an plerorumque scriptorum, qui illam historiam sibi tractandam et perpoliendam sumserunt, peruersitati magis indigni. Nam si nihil aliud a litteraria Medicinae Historia expectari potest, quam quod ab his praestitum est, non mirabimur, bona ingenia eam contemnere ac paene fastidire. Nam a boni ingenii alacritate nihil magis alienum est, quam ea magno labore multaque lucubratione discere, quae neque ad liberalis hominis voluptatem iucunda, neque ad publicae rei utilitatem frugifera esse perhibeantur.

Certe a paucissimis intelligitur, quid sit litteraria Medicinae Historia, quae sit eius addiscendae ac scribendae ratio, quae denique ad medicam artem accommodatio. Quod si quis vel impudenter vel inuidiose a me dici existimet, is euoluat Goelickii, Stollii, Schulzii scripta. Ego, cum ad
haec

haec studia primum me olim applicarem, sperabam, Historiam ingenii et experientiae Medicorum me ibi reperturum esse. Verum tale aliquid vix apud Freindium reperi, illis omnibus longe praestantio- rem, sed alia omnia: Vitas excellentium Medicorum ita scriptas, vt non cuiusque ingenium tanquam in tabula exprimeretur, non quid ad illud vel perficiendum vel peruertendum contulerit saeculi genius, vitae ratio, disciplinae et exemplorum vis, ostenderetur; sed, quo anno ce- leber quisque vir ad Academiam accesserit, quot annos ibi fuerit commoratus, qua disciplina, quo domicilio, quo conuictu, quibus amicis ibi fuerit usus, qua in vrbe deinde medicinam docuerit aut fecerit, quibus fuerit stipendiis ac honorum titulis a principe ornatus, quam vxorem duxerit, quot tandem libros, liberosque reliquerit, curiose sollicitaque, magna cum lectionis et eruditionis ostentatione, enarraretur. His adduntur librorum indices, cum editionum ac versionum et commen-

tariorum varietate, et operaria quaedam alienorum iudiciorum compilatio. In explanandis clarorum scriptorum placitis, ipsae illorum notiones non expromuntur, ut, quae sit eorum disputandi ratio, quo quisque vel imaginationis, vel experientiae modo ad suam opinionem fuerit delatus, perspicere queat; sed nonnullae hinc inde enunciationes, de illorum monumentis decerptae, exhibentur, exanimae, et sensu ac ingenio scriptoris caesae. In controuersis enarrandis, non cuiusque sententia dilucidatur, non summa quaestionis exponitur, sed congeritur librorum moles, adscriptis, si omnes Dii adiuuerint, quibusdam fortasse locis.

Praesertim autem, quod vehementer dolendum est, Veterum placita tam pueriliter et absurde explicantur, ut mirum non sit, eorum lectionem negligi et prope contemni. Ut enim hoc utar, si illud veterum *παρειγχυμα* in eiusmodi libro explicatum legas, quam obtusa capita credas Erasistratos, Aretaeos, Galenos illos fuisse?

Adeas

Adeas vero ipsos illos vberrimos antiquitatis fontes, secus omnia esse intelliges, ac vulgo scribatur. Neque dubito, quin Hallerus, cellulosae texturae stator ac vindex, veterum Physiologorum lectione fuerit ad suum *παρεγχυμα* delatus, quod Eius et Ill. Meckelii experientia nuper euitum accepimus atque ornatum. Idem profecto veteribus Medicis accidit, quod veteribus Philosophis accidisse video, doleoque vehementer cum Garuio meo, subtilissimo homine, mihi que, ita me Deus amet, ipsa vita mea cariore.

Sunt vero alia quaedam Medicae Historiae impedimenta, quae non a scriptorum leuitate, sed a communi quodam errore mihi proficisci videntur. Et primo quidem a litterariae historiae, aut discendae aut scribendae, negotio multos deterret, partium ad Medicinam referri solitarum multitudo et varietas. Etenim nescio, quo deplorando medicae artis fato accidit, ut quae disciplinae a Physicis negligenterentur, eae Medicis excolendae et per-

poliendae traderentur. Chemiam, Mineralogiam, Botanicam omnemque historiam naturalem ad Medicinam referre plerique solent. Hoc fit propter speciem quandam similitudinis, a qua magis quam a ratione profecta est litterarum ac disciplinarum partitio. Forte etiam ipsa Medicorum πολυπραγμοσυη hunc errorem, qui etiam nunc alte insidet omnium animis, procreavit. Nam aliquot abhinc saeculis haec leuitas Medicorum animos peruasit, ut omnibus artibus ac disciplinis, quae Medicinae subsidio esse solent, se immiscerent, imo etiam earum se magistros profiterentur. Itaque qui illas disciplinas vel colunt, vel in Academiis docent, fere omnes Medici esse solent. Ego vero etsi non ignoro, naturali scientia Medicum carere non posse; aeque tamen illa ad Medicinam tota non pertinet, ac vniuersa totius terrarum orbis historia ad iuris scientiam. Et profecto nulla capitalior pestis ipsi illi scientiae naturali contingere poterat. Primum enim illa, ad Medicos
 tantum

tantum pertinere existimata, a caeteris negligitur. Nihil igitur aliud putamus a naturali scientia vtilitatis impetrari posse, quam vt vel corporis humani fabrica ea illustretur, vel moles medicamentorum augeatur? Aequè hoc absurdum est, ac illud, quod vulgo dicitur, Graecis litteris Theologos tantum et Medicos indigere, illi vt sacram scripturam melius interpretari, hi, vt vocabula de graeco fonte sumpta intelligere possint. Denique si Medicis totum illud studium excolendum et augendum traditur, an poterunt illi, tanquam aliud agendo, id perficere, aut vltra mediocritatem se in hac scientia, sine Medicinae neglectu, attollere? Nihil magis ridiculum est, quam si cernas nonnullos, illud naturae studium totum ad animi quandam relaxationem reuocare. Itaque multos videre licet, a quibus Physices et naturalis historiae grauissimum studium in puerilem lusum conuertitur; in physicis nihil aliud curantes, quam experimentorum circumforaneam ostentationem atque

puerilem voluptatem, in naturali historia plantarum, lapidum et animalium amoenam varietatem vnice quaerentes. Tali ego mediocritate, ipsam ignorantiam tolerabiliorem esse puto.

Quae cum ita sint, Chemiae, Botanicæ, totiusque scientiæ naturalis historia litteraria, ad medicam Historiam non pertinet, et quicquid ex his vel ad corporis humani fabricam, vel ad medicamentorum vim declarandam prodesse creditur, id omne vel ad Anatomes ac Physiologiae, vel ad Materiae medicae historiam, meo quidem iudicio, est referendum.

Porro nollem historiam vniuersae Medicinae, vnius eiusdemque docti viri studio conscribi. Primum enim in his memoriae ac vitae humanae angustiis fieri nequit, vt quae de partibus muneribusque et morbis corporis humani, et de remediorum omnis generis virtute, observationes et opiniones proditae sunt, vnus omnes legere ac meminisse queat. Deinde, quod caput rei est, diuersarum Medicinae

nae partium Historia, diuersas ac disiunctissimas ingenii et imaginationis dotes exigit, quae in vno homine, vix ac ne vix quidem consistere possint. Quod enim alii Anatome, alii Physiologia, alii morborum explorandorum sagacitate, alii demum Chirurgiae dexteritate excellunt, hoc vel maxime pendet a varia ingenii et imaginationis virtute ac indole; ita vt aliis anatomicum, aliis pathologicum, aliis demum chirurgicum ingenium inesse dicas. Qui igitur Historiae medicae aliquam partem sibi pertractandam sumit, eo genere imaginationis excellere debet, quod in illa parte doctrinae maxime eminet atque dominatur. Nam si illam virtutem scriptori demeris, nihil aliud poterit praestare, quam vt vitas narret, et titulorum indices colligat. Talem vero operam, etsi non contemnimus, ad litterariam tamen Historiam scribendam haud sufficere arbitramur. Qua de re optabile foret, quemque sibi eam prouinciam eligere, cui, per ingenii propriam quandam virtutem, optime
 queat

queat praeesse. Quantum sic ornamenti et perfectionis captura sit litteraria Historia, Halleri scripta docent, in quibus anatomicae et physiologicae Historiae exemplum propositum est, in quod optabile est caeterarum historiarum scriptores intueri.

Sunt autem aliquot Medicinae partes, in his Anatome, quarum historia, praeter librorum indices et inuentorum notationem, nihil magnopere exigere videatur. Talis opera experti Anatomici solertiam magis, quam Philosophi imaginationem, aut acrimoniam exigit; propterea quod res, de quibus agitur, coram sunt in conspectu positae. Nullae hic ingenii partes, si tale ingenium intelligas, quod versatur in rebus abstrusis et a sensuum consuetudine remotis. Multa quidem in hoc genere controuersa sunt, sed illae Anatomicorum controuersiae inde magis nascuntur, quod obseruatio sensim auctior fit, quam quod aliis aliud placeat. Quid sit omni tempore, de partibus corporis hu-
mani

mani earumque necessitudine recte obser-
vatum, quid omiffum, quid male descri-
ptum, id vt decernatur, fatis est in tem-
praesentem lectores deducere, ideoque
haec res magis diligentiam inperscrutando
et obseruando, quam vel imaginationem in
enarrando, aut ἀκριβίαν in iudicando po-
stulat. Potest etiam in tali quidem historia
saeculorum ordo tolerari, quem in caete-
ris alienum esse deinceps ostendam. Quod
reliquum est, Anatomes Historia, facilius
quam vlla alia, Medici practici carere pos-
sunt, modo ipsam corporis humani fabri-
cam, qualis ea hodie innotuit, non igno-
rent. Si quid est in textura corporis hu-
mani a sensuum fide remotum, id ad Phy-
siologiam referri solet.

Cacterae vero Historiae medicae par-
tes, quae versantur in placitorum, contro-
versiarum, obseruationum et experimen-
torum varietate, maius quid postulant.
Etenim primo imaginationis virtute excel-
lentiore opus est in scribendo, vt cuiusque
disputandi rationem bene intelligere lecto-
res

res possint. Cum quoque claro scriptore, cuius memorabilis quaedam opinio existat, familiaritatem et consuetudinem contrahere oportet, ut penitus eius mentem perspiciamus, eiusque ingenium oculis quasi cernamus. Et profecto de opinionis cuiusque veritate melius potest iudicari, si etiam res minutas opinionibus et ingeniiis quasi adhaerescences, cognitae habeas. Etenim, ut quid ego sentiam de omnis Historiae medicae usu ac fine, aperiam, is mihi totus positus esse videtur in eruenda veritate. Medicinae systema, quod dicitur, est idearum, circa naturam humani corporis et morbos, eorumque remedia versantium, complexus. Harum idearum aliae observatione quaesitae et experientia oblatae, aliae ingenio partae sunt et ornatae. Quid sit verum in illis ideis, nemo debet ignorare, qui Medicum se profitetur. Atqui hoc intelligi non potest, nisi perquisita illarum idearum omnium origine et vicissitudine, et nisi, unde venerint isti experientiae ac imaginationis foetus, ex historia

istoria

storia repetatur. In eo enim vel maxime vulgus Medicorum ab excellentioribus ingeniis discrepat, quod illi enunciationes illas, quarum compage hoc Medicinae systema effictum est, haustas ex breui compendio, memoria tenent, et nullo studio examinatas arripiunt; qui sit in illis veri ac verisimilitudinis modus, nescientes nec scire cupientes. Hi plerumque rata omnia ac demonstrata habent, nihil videas eos ignorare, nihil non explicare ac discernere.

Qua de re cum idcarum notionumque vicissitudines potius, quam hominum vitas exigat medica Historia; tota illa ad historiam ingenii et experientiae Medicorum reuocatur, et Physicorum ac Philosophorum, quatenus horum aut ingenio, aut industria augmentum quoddam ad artem salutarem accessit. Huic autem fini, quem nos quidem Historiae medicae proponimus, assequendo, parum idoneum esse existimamus modum eorum, qui praecipuam quamque disciplinae partem, pro
tempo-

temporum ordine pertractant. Hoc ordine oportebat singularum enunciationum mutationes peruestigare, quod satius foret, quam si vniuersae cuiusdam doctrinae, Physiologiae, Chirurgiae etc. fata, quae dicunt, commemorantur. In tali enim historia, quam interim penitus non inutilem esse putamus, nihil potest attingi, quam quod toti cuidam scientiae commune est. Id vero et rarum, et scitu non adeo necessarium est. Si quis enim, ut hoc vtar, Chirurgiae fata commemorare velit, nihil posset persequi, nisi praeter consilium velit a via aberrare, quam Chirurgiae vniuersae originem, vicissitudines, incrementa, inuenta et ornamenta. Iterum aio me talem historiam non omnino inutilem existimare, cum in ea de varia medendi ratione multa occurrere soleant, sed aptior nobis videtur modus eorum, qui illas vicissitudines cum ipso explicandi et disputandi negotio ita coniungunt, ut in disciplina quavis pertractanda, singularum omnium et praecipuarum enunciationum,

num, quibus illa contexta est, historiam enarrent. Exemplo rursus est Halleri, Summi Viri, Physiologia, qui obseruationum atque opinionum omnis aevi vbertatem varietatemque, ita nobis expromsit, vt, quae ad principem quamque sententiam attulerit imaginatio hominum et experientia, tanquam in tabula conspiciatur. Tale aliquid hic illic in Institutionibus Chirurgiae praestitit Pater meus, cuius ego rationem in his Supplementis sequendam putavi. In illa autem placitorum varietate, cuique principi doctrinae aspersa, magna est ad cogitandum, dubitandum et experiendum inuitatio. Etenim si qui sunt inter Medicos, qui rata omnia ac demonstrata habent, de quorum ego mediocritate supra dixi, hi fere esse solent litterariae Historiae expertes.

Quod autem plerique alteram illam rationem sequuntur, hoc ideo fieri puto, quod litteraria Historia ad ciuilibus historiae formam et exemplum effingi consuevit. Latet vero, quod recte dixit Garuius,

sub vtriusque nominis communione, maxima rei diuersitas. Nam disciplinarum longe alia ratio est, ac regnorum. In horum quidem historia, propter iura Principum et priuilegia populorum, summe necessarium est, omnes vicissitudines quotquot in bello et in pace quouis tempore contigerunt, pro saeculorum ordine curiose peruestigare. Deinde cum exemplis maxime prodesse debeat historia civilis, isque exemplorum fructus, ad rei publicae gubernatores maxime pertineat, curiosiore diligentia opus est in illa vicissitudinum omnium sensim sibi succedentium enarratione. Vt taceam ciuilem historiam in multiplici illa rerum gestarum varietate, et euentorum complicatione, alio modo ad memoriae vsu tractari non posse.

In litteraria autem Historia, fructus, qui petitur ab exemplis euentorum, et a totius disciplinae in vniuersum vicissitudinibus et incrementis, valde exiguus est. Singulorum autem ingeniorum exempla
dum

dum intuemur, quantum et voluptatis percipimus, et vtilitatis! Est tamen exemplorum in medica Historia fructus, similis propemodum illi, qui a ciuili historia petitur, qui a Philosophica historia omnis fere abest. Etenim in hac id maxime agitur, vt mens intuendis praestantibus ingeniis locupletetur, et ad cogitationis excellentiam quandam, et ad sensus sublimitatem extollatur. In medica vero Historia, illis idearum humanarum mutationibus, et ingeniorum exemplis spectandis, non alimur tantum cogitandi materia, et ad intensionem quandam sollicitamur, sed etiam, quod maximum est, ad capiendum consilium et ad agendum, inde discedimus prudentiores; dum in praestantissimorum Medicorum prudentiam intuemur, eamque multiplici ac repetita obseruationum ac praeceptorum lectione, totam haurimus, et cum cogitandi ac agendi instrumentis nostris communicamus. Pertinet igitur ad Historiae medicae vsum, etiam obseruationum et praeceptorum'

multitudo, qua quidem non destituimur, modo earum mole non laboraremus. Etenim quot observationum medicarum spicilegia, fasciculi, selectus, trigae, sextuplae, decades, centuriae, intra paucissimos annos prodierunt! Multa egregia bona in his experientiae copiis recondita esse, non ignoro. Sed dolendum est ea bona nimis disiecta esse, quae si quis velit colligere, et ordine doctrinarum pathologicarum disponere, quod a Morgagno et a nonnullis aliis factum est in Symptomatologia, is egregie possit de genere humano mereri. Optabile tamen est, Medicos, in edendis illis experientiae suae annalibus, humanae salutis magis, quam propriae cuiusdam gloriolae rationem habere. Etenim in illis observationibus practicis, quae copiosissimae eduntur, omnia abundant morborum aut sagaciter exploratorum, aut prudenter ac feliciter debellatorum exemplis; nisi forte hic illic leues quidam errores in re minuta commissi, afferuntur. Quantum vero profuturus esset liber obser-

vationum,

vationum, qui vnus tantum Medici aut Chirurghi errores, vel in videndo ac iudicando, vel in consulendo et agendo enarraret. Sed nemo talem errorum historiam conscribere posset, nisi is ipse, qui eos commisisset. Quod enim a Medico peccatur, id omne agitur intra caput eius, et si quid hinc inde aliis innotescit, id rarum est et mancum. Certe iuniores Medici ac Chirurghi hoc officium generi humano plus vna de causa deberent; quod si praestiterint, qui eorum culpa mortui sunt, eos omnes patriae, ciuibusque et generi humano restituisse videbuntur.

Eorum vero, qui rectum in studiis finem sibi constituunt, mira est paucitas. Alii enim ad litteras se adplicant, vt consuetudini morem gerant, et parentum voluntati inseruiant, atque muneris participes fiant, et stipendiis honorumque titulis in republica ornentur. Alii, (quorum quidem multitudine non laboramus), maiorem illis diligentiam adhibent, laboris,

lectionis, lucubrationis sunt patientiores. Sed quo consilio ac fine? Ut inter doctos homines celebritatem, apud ciues suos admirationem, et nominis famam apud posteros consequantur. Quid potest a tali studiorum et laborum consilio, publicae ac verae utilitatis expectari?

Qui vero, vel aliorum placitis exponendis et peruestigandis idearum medicarum mutationibus, vel indicandis scriptoribus, vel denique obseruationibus prouidendis, Historiam artis medicae augere cupit, eum oportet animum, quantum id fieri potest in humana imbecillitate, ab omni vanitate abducere, omneque legendi, colligendi, scribendi et obseruandi consilium, in verum artis fructum, h. e. in generis humani salutem, dirigere. Etenim in omni genere studiorum hunc nobis finem constituere debemus, ut homines opera nostra fiant sapientiores et beatiores. Quo fine et consilio litteris adempto, infra vilissimorum opificiorum ordinem illae detrudi merentur, nihilque prorsus

prorsus superest, in doctissimi etiam omni- que genere litterarum ornatissimi hominis ingenio aut diligentia, quod vir sapiens admiretur, aut expetendum putet. Haec autem docta vanitas, in nullo studiorum genere magis dominatur, quam in hoc litterario, quo ad putidam quandam ostentationem plerique abutuntur. Quid enim maiore cum ambitione a nonnullis quaeritur, qui eam eruditionis partem profitentur, quam ut colligendis omnis generis titulorum indicibus, aut edendis raris, et si Diis placet, aureis scriptiunculis, aut coaceruanda notarum mole, litterariae eruditionis famam consequantur? Quid curiosius nonnulli agunt, quam, ut quicquid librorum, schediasmatum, dissertatiuncularum, in Belgio, Anglia, Gallia prodierit, id omne corradant, vel in bibliothecae, vel in aduersariorum suorum thesauros? Et ut de Veterum lectione dicam, quid in his legendis, vel potius perlustrandis, plerique sibi propositum habent? Ut ingenium Veterum et experien-

tiam aliis expromant? Multos cernere licet, qui nihil aliud agunt, quam vt scripta sua Veterum nominibus ornent, et in vulgatissima quaque enunciatione Hippocratis, Celsi, aut alius Veteris Medici aliquam auctoritatem afferant; ac si in tali auctoritate omnis atgmentorum vis, omneque veri robur contineretur. Eadem vanitas apud multos se exserit, in laudandis exterorum scriptorum libris. Num igitur exteris libris tenuissimis magis afficiamur, quam nostris vel vtilissimis? Exteros scriptores nosse et varias eorum linguas callere, quid in hoc est, quod non vel a puero praestari possit?

In illo itaque litterariae eruditionis ad doctam vanitatem abusu, iam mirabimur eam otiosam fere et umbraticam esse, ac de bonorum ingeniorum consuetudine exclusam, ad Academias, tanquam ad doctae vanitatis domicilia et futilium omnium studiorum sedes, relegari. Etenim multos audire licet, in his etiam bonos et ingeniosos viros, qui has litteras
ornare

ornare magis, quam prodesse existimantes, Professores talem ornatum bene decere dicant: in quibus, nescio cur quicquid ieiunum est litterarum et inutile, tolerabilius quam in caeteris putatur; vel quod vere hi ieiunam interdum in litteris vanitatem magis, quam sapientiam hominis et felicitatem quaerunt, vel quod humiliter de eorum munere sentitur. Quid autem adempto vtilitatis consilio sit in villo doctrinae genere decoris et ornamenti, id ingenue profiteor me non intelligere. Et in illis ipsis studiis, quae humaniora esse et elegantiora dicuntur, nihil ego reperio humanitatis ac elegantiae, nisi extra scholarum umbram in perpoliendis hominum moribus et ingeniis vim suam explicant. Multo minus intelligo, quid sit in litteraria Medicinae Historia, aut ornamenti, aut humanitatis, si eius opera, Medici neque cogitatione subtiliores, neque experientia locupletiores, neque ad consilium capiendum prudentiores fiunt. Quid vero? Si hoc consilio, in lit-

b 5

teraria

teraria historia tantus tamque taediosus labor sumitur, vt magnorum virorum nomina innotescant, vt titulorum indices colligamus, vt suppetat nobis in scriptis et lectionibus docte garriendi materia: profiteor me tale studium liberali ingenio indignissimum, et contemtibile habere; et si nulla alia inde vtilitas impetrari possit, me malle otium meum amicis et mihi totum transmittere, quam eo et litteris ad operarium talem laborem et ad putidam ostentationem abuti: tolerabilius enim puto parum doctus, imo etiam ignavus videri, quam ieiuna diligentia, semidoctorum hominum plausum et admirationem mereri. Quod memores esse velim lectores nostros, ne forte existiment, me in multitudine scriptorum, quos ego in his Supplementis meis laudavi, mihi adeo placere, vt me vel ideo doctiorem putem, quod magnam notarum molem congesserim. Videbunt enim, quod spero, lectores, me id fecisse sine ambitione. Et profecto in tali libro, qualis hic meus est,

ipsum

ipsum institutum et consilium exigit, ut scriptores quamplurimi commemorentur. Et haec scriptorum notitia, prima est et inchoata litteraria Historia.

Quae me causa impulerit ad haec Supplementa conficienda, vnusquisque vel sponte intelliget. Nemo enim ignorat, quam sit Chirurgia post Patris mei aetatem auctior facta in plerisque curationibus et emendatior. Inde multos audiui intelligentes viros, qui dicerent, valde optabile esse, Patris mei Institutiones Chirurgiae, auctiores aliquando in lucem edi, quippe in quibus hodie nimis multa desiderentur. Quod enim talibus libris plerumque contingere solet, ut post fata scriptoris abiiciantur, et vel aliorum nouitate superentur, vel, auctiore reddita disciplina, minus vsurpentur, id Patris mei Institutionibus haud accidisse, mirifice laetor. Quamquam enim his viginti quinque annis multi libri huius generis prodierunt, ipsaque Chirurgia inde ab illo tempore plurimis in locis immutata fuit et locuple-

tata,

tata, constans tamen in illa recentiorum librorum multitudine, et in illis ipsis artis vicissitudinibus, mansit hoc summorum virorum de Patris mei opere iudicium, eo neminem carere posse, qui etiam nunc inter scripta huius generis principatum fere teneat. Inde passim coeptum est de augendis his Institutionibus cogitari. Id consilium nuper exequi studuit Martin Houttuyn, Medicus Amstelodamensis Celeberrimus, Vir vere doctus, qui belgicae versionis nonnulla adiecit, ad recentiorem Chirurgiam spectantia. Sed Houttuynii institutum, quod paucarum ille notularum angustia coercuit, maxime versatur in quibusdam praecipuarum curationum methodis, quae notavit ille quidem et indicavit, sed non descripsit. Caeterum post illas Celeberrimi Houttuynii curas, multa eaque maxime memorabilia ad Chirurgiam accesserunt; ut taceam illius operis fructum ad Belgas tantum pertinere, propter belgicae linguae apud alias gentes insolentiam. Nostrum vero con-

silium

filium multo latius parer. Etenim non in recentioribus quibusdam curationibus enarrandis me continui, sed tum Pathologiam recentiorem explicavi, tum observationes praecipuas commemoravi, quibus vel Pathologia, vel curatio chirurgicorum morborum recentior illustraretur et confirmaretur, multa etiam adieci, ad veterem medendi rationem pertinentia. Totum hoc opus nostrum tribus supplementorum fasciculis absoluetur. In secundo cancri, vulnerum capitis, trepanationis et variae oculariae chirurgiae, nec non lithotomiae historia tractabitur. In tertia parte herniarum, ani fistulae, et caeterorum praecipuorum morborum pathologia et curatio illustrabitur.

Sed quid sit a nobis in hoc libro praestitum, multis haud opus est verbis enarrare, nam id unusquisque potest in adiecta epitome conspicere. Si qui erunt, qui propriae experientiae vim in his Supplementis desiderent, spero tamen alios fore, quibus diligentia nostra in colligendis placitis

citis et indicandis obseruationibus non prorsus inutilis videatur. Quid vltra diligentiam praestiterim, id malo alios legendo libro nostro iudicare, quam ipse gloriosa oratione praedicare. Tandem etiam praeuideo fore nonnullos, qui istas praefatiunculas nostras, a quibus nonnullae sectiones ordiuntur, et locos communes, quos hic illic interspersimus, saluo libri consilio abesse posse dicant, et qui malint scribendi genus nostrum paullo angustius esse atque compressius. Hocne igitur merentur litterariae Historiae scriptores, qui sexcentas molestias deuorant, vt iis ipsis a quibus contemptim haberi solent, commodo et subsidio esse possint? Hocne merentur, vt pro operariis compilatoribus habeantur, qui debeant se in colligendi ac disputandi taedioso negotio continere, propterea quod nihil aliud prorsus ab iis exigatur aut expectetur? Hocne merentur, vt praeter diligentiam et quandam fortasse ἀκριβίαν nihil in eorum scriptis tolleretur, quod vel animi relaxandi, vel illustrandi

lustrandi ac persuadendi causa intersperse-
 rint? Haec praecipue est Germanorum,
 aduersus Germanos scriptores, iniquitas.
 Euoluite o seueri censores! qui, vbi a Ger-
 manis, a ciuibus vestris, huius generis li-
 brum laxiore paullulum sermone conscri-
 ptum videtis, flagella poscitis! euoluite
 quaeso Francogallorum scripta; ibi non
 sententiis adiunctis historiam, sed paene
 declamationem vix narratiunculis inter-
 spersam videbitis. Et cur in Francogal-
 lis hoc scribendi genus imitamini et ad-
 miramini? Cur in illis hoc vobis, quam
 in Germano scriptore tolerabilius vide-
 tur? Neque tamen illam nobis leuitatem
 exemplo proposuimus. Nam id quod
 sententiarum intermiscuimus, id valde ra-
 rum est. Caeterum optabile foret, no-
 stros Chirugos illam nonnullorum Fran-
 cogallorum elegantiam, certe in scriben-
 do, imitari. Inter hos eminent Louisii
 facundissimi Viri ingenium, qui, quod
 pauci assecuti sunt, facundiam in disse-
 rendo, historica diligentia et iudicii *ακριβεία*

ita temperavit, vt ab eius scriptis nunquam non abeamus, et ad dicendum facundiores, et ad iudicandum subtiliores, et ad confilium capiendum prudentiores.

Et ita vale! Bencuole Lector! mihi que et huic operi faue; ad quod suscipiendum insitus me quidam aduersus hanc partem doctrinae amor, et summa, erga Patrem Optimum (cuius ossa molliter cubent) pietas inuitavit. Quod si Tibi profuisse intelligam, diuturni ac molesti laboris vberimum fructum tulisse putabo.



ERNESTI PLATNERI
SVPPLEMENTVM I.

IN

IO. Z. PLATNERI

INSTITVTIONES

CHIRVRGIAE.

DE INFLAMMATIONE
ET SVPPVRATIONE.



I.

SEDES INFLAMMATIONIS

ET CAUSA.

Intuenti mihi falsarum opinionum varietatem illam, quae medendi disciplinae intertextata est; plures errores visi sunt a magnorum ingeniorum vbertate profecti esse, quam a mediocrium hebetudine quadam, vel peruersitate. Etenim magna ingenia, erroribus quoque, tenuibus ingeniis, fertihora esse solent; propterea quod imaginationis vis atque celeritas in iis maxima est: qua demta aeque Medici ac Poetae ingenium excellere non potest. Haec autem virtus inuestigationi

E. Platn. Suppl.

A

veri

veri obesse potest, praesertim tum, cum quaeritur de rebus, quae totae sunt in facto positae, adeoque non possunt sine accurata et fideli naturae observatione cognosci. Quae cum ita sint, in ea me semper opinione fuisse profiteor, ut magnorum virorum placita diligentius examen seuerioremque censuram postulare existimarem, idque eo magis necessarium esse arbitrarer, quo celcius, si quid erroris iis subest, id cum caeteris bonis dimanat, aliorumque ingeniis insinuatur. Commendationem enim opinio nullam maiorem habet, quam quae petitur ab auctoris dignitate; et contra in mediocritate vel nouitate scriptoris, maxima esse solet ad quaerendum ac notandum errorem inuitatio.

Horum, quae iam breuiter sum praefatus, facilis est ad *BOERHAVIUM* eiusque disciplinam accommodatio; estque in illa inflammationis doctrina, quam e Boerhauianis fontibus *PATER* meus hausit, luculentissimum vtriusque enunciationis nostrae testimonium: et labi quandoque magna ingenia, ea ipsa virtute, qua excellant, et erroribus, quos sic pepererint, facilem ad bona aequae ingenia, viam patere. Quis enim illum nuper Boerhauiani ingenii foetum, non beneuole atque amanter suscepit! Quis non fouit cum atque ornauit! Et quam hodie sunt multi, qui aegre illum ab aliis dimitti vident, quem sibi ex amplexibus suis eripi, vix patiantur, firmiter
eum

eum tenentes ac tuentes constanter. Quodsi haec doctrina non BOERHAVII, sed medicis, aut noui cuiusdam hominis fuisset opinio; non dubito, quin PATER meus et SWITENIUS, aliique clari scriptores, accuratius eam erant examinaturi.

PATER itaque meus sedem inflammationis in minimis arteriis collocauit, in quibus post LAUR. BELLINI¹⁾ auctoritatem, Diuus BOERHAVIUS²⁾ eam posuerat, consentientibus celeberrimis totius fere Europae doctoribus. Ex arteriis nuper in telam cellulosam, inflammationem transtulerunt recentiores. Primus hanc Boerhauianae disciplinae emendationem inchoauit Perill. v. HALLER³⁾, qui iam olim in Praelect. Boerhauianis placitum illud Praeceptoris sui: *singula quaeuis arteriola*

A 2

rubra,

- 1) vid. LAUR. BELLINI Opuscula ad PITCAIRNIUM, Lugd. Bat. 1714. Series vasorum decrecentes praecipue declarauit.
- 2) vid. Aphorism. 375. cf. SWITENIUS ad h. §. et seqq. et FR. HOFFMANN in Med. Rat. System. T. IV. P. I. Sect. II. C. I. p. 324.
- 3) Comment. in BOERHAVII Praelect. T. II. Ed. 8. p. 300 seqq. ad §. 245. Illas etiam series vasorum ante HALLERUM confutauerat Ill. nuper SENAC in Not. ad HEISTERI Compend. Anat. cf. Eiusd. Traité du Coeur T. II. p. 66. Hanc doctrinam tamen nuper repetiit Celeb. Iatromathematicus IO. FR. SCHREIBER in Almagest. med. 1757. P. I. p. 212. Caetera Boerhauiana de globulorum diuisione reiecit.

rubra, flavae seriei aorta est, multis modis castigavit; sic quidem ut arteriolas rubris minores, haud negaret ille quidem, sed diffitos illos arteriarum rubrarum fines, origini suae paullo propiores esse diceret. Namque arterias minores, progrediendo non continuo angustiores fieri, observatione ibi probavit. Reiecit etiam LOEWENHOEKII ET BOERHAVII globulos sanguineos, in sex globulos serosos dissilientes, qui ipsi tandem in sex globulos lymphaticos dissolui dicerentur. Atqui in his placitis Boerhaviae disciplinae, arx collocata est illius doctrinae de *errore loci*, ac inflammationis sede. Quibus labefactatis non poterat non, tota illa funditus deiici. Funeribus etiam explorandis certior factus est HALLERUS, inflammatum sanguinem non in arteriis, sed in tela cellulosa quiescere. Exstant huius generis observationes quaedam in Opusculis pathologicis ⁴⁾, ad intestina praesertim spectantes. In oculo, ubi Boerhavianus *error loci* manifestus esse putetur, tale quid se vidisse negat; si arteriolae obstructae appareant, non in *lymphaticis*, sed in *minimis*, sanguinem impactum haerere, quo ille nomine eas arteriolas intelligit, quae sint vno ac solitario globulo non capaciores ⁵⁾.

Negat

4) vid. Obf. 43.

5) vid. HALLER ad Praelest. l. c. Hae arteriolae, qui vnum globulum rubrum vehunt, rubrae non adparent, indeque facile cum serosis commiscuntur.

Negat porro sanguinem arteriis lymphaticis tam facile impingi, ut a BŒRHAVIO et ab aliis vulgo credatur. Iniectionum vsu edoctus monet, liberam sanguini et expeditam viam in telam cellulofam patere, ita ut liquida materia facilius adeo in cellulas circumiectas, quam in vasorum minorum angustias vrgeatur ⁶⁾. Inflammatum sanguinem per loculos illos diffusum esse, non quidem in arteriis haerere; his obstructis inflammationem fieri non posse, quae neque a vinculo arteriis injecto, neque a tumoribus contingat ⁷⁾. Ultimum argumentum ducit Vir Perill. ab effectis inflammationis, quorum vis omnis atque malignitas in tela cellulosa se exferat — pus, gangraena, scirrhus, sphacelus. Verumtamen in malo inchoato arterias obstructas esse posse concedit; modo nec in hac obstructione causa morbi, nec sedes obstructionis in lymphaticis arteriis quaeratur.

HALLERI doctrinam, cui nativa quaedam simplicitas, ipsaque naturae vox aditum muniret, amplexi sunt multi docti et periti viri, inter quos honoris causa nomino TISSOTUM ⁸⁾. Interim tamen cauendum est, ne huic exhalationi nimis multum tribuamus,

A 3

quod

tur. cf. HALLERI Elementa Physiologiae T. I. p. 114 seqq. et 118.

6) Elem. Physiol. T. I. p. 35 seqq.

7) p. 116. De effectis inflammationis ibid.

8) Passim in scriptis Celeberr. Viri, hanc sententiam memini me reperire.

quod ii mihi fecisse videntur, qui omnem obstructionem arteriarum ab inflammatione abesse, post HALLERUM scripserunt, Viri sententiam vel non intelligentes, vel nimis ornantes⁹⁾ Ego vero HALLERI doctrinam ita puto accipiendam esse, vt sanguis, ineunte quidem inflammatione, in minimis arteriis quiescat, ea vero subsistente statim in cellulas diffundatur. Ita certe sentiunt paene omnes, qui HALLERI obseruationibus vsi, hanc inflammationis sedem nuper probarunt: IO. ASTRUC¹⁰⁾, FRANCISCUS THIERY¹¹⁾, LUDWIGIUS noster¹²⁾, DANIEL MAGENISE¹³⁾ et Celeberr.

9) vid STEPHANIZAGONI BACA Diff. de Theoria Inflammationis Boerhauiana 1757. CHR. FR. RICHTERI Dissert. de Inflammatione sanguinea, eiusque in tela cellulosa sede frequentissima, Halae 1762. IAC. IOS. WINTERI Diss. proponens Inflammationis Theoriam nouam. GISEBERTI BEUTHII Diff. de theoriae Inflammationis Boerhauianae falsitate, Duisburg. 1768.

10) Tr. des Tumeurs & des Ulceres à Paris 1759: T. I. p. 6 seqq.

11) An in celluloso textu frequentius morbi et morborum mutationes? Parisiis 1757. p. 6. Duplicem errorem loci admittit, prout vel in arteriis, vel in tela cellulosa sanguis quiescat. Ductus adiposi minus recte commemorantur, quos vere non adesse MORGAGNUS Aduers. Anat. T. III. p. 3. probavit, consentiente Ill. HALLERO Elem. Physiol. T. I. p. 35.

12) Institutt. §. 26 cf. PORTAL Précis de Chirurgie à Paris 1768. p. 3.

13) The doctrine of Inflammations, founded upon reason

Celeberr. MACKBRIDE ¹⁴⁾). Interim tamen non defuerunt, qui post illam HALLERI experientiam, pristinam inflammationi sedem vindicarent, ut HIER. DAVID GAUBIUS ¹⁵⁾, FR. BOISSIER DE SAUVAGES ¹⁶⁾, ADAM. NIETSKY ¹⁷⁾, IO. GRASHUIS ¹⁸⁾, multique alii docti viri, qui negligentia id potius, quam consilio mihi fecisse videntur.

Caeterum si in antiquitate opinionis aliqua est ad eius veritatem commendatio, HALLERI doctrina ea quidem minime destituitur. Et primo quidem GALENUS ¹⁹⁾ inflammationem in tela cellulosa collocavit, quod

Λ 4

multis

reason and Experience, and intirely cleared from the contradictory System of BOERHAVE VAN SWITEN and others, London 1768. HALLERUM, e cuius fontibus omnia hauserat, ne nominavit quidem. In confutando BOERHAVIO rudis est ac immodestus.

14) vid. DAVID MACKBRIDE Methodical Introduction to the Theory and Practice of Physic, London 1772. p. 164 seqq.

15) Institut. Pathologiae §§. 207. 209. et passim.

16) vid. Ei. Nosologia methodica T. I. p. 397. cf. Eiusd. Theoria inflammationis N. 46 seqq. et passim. In causa febris a BOERHAVIO discrepat.

17) Elementa Pathologiae vniuersae, Halae 1766. p. 66. Boerhavianam doctrinam totam repetit. Idem fecit eius discipulus AUG. CAROL. KESLER in Diff. de inflammatione sanguinea siue vera, Halae 1767.

18) De Suppuratione, vid. Prix de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 6.

19) Method. Med. L. X. C. VI.

multis in locis clare patet: *Quum sanguis calidus copiosior in aliquam animalis partem probuit, maiora eius vasa protinus distenduntur, quae plenitudinem non ferunt, ab his deinceps, quae minora sunt. Mox ubi nec in iis satis continetur, exudat foras in ampla illa spatia, quae inter vasa sunt, sic ut etiam omnia, quae in circumposita carne habentur, loca occupet. Atque hic quidem est phlegmones affectus; et alio loco*²⁰⁾: *quum sanguis in aliquam partem congeritur, ut ab eius partis vasis nequeat contineri, exudatque aliquid roris instar ex ipsis vasis in musculorum interstitia, utique tumor ex plenitudine oritur. Eodem modo de inflammatione scribit ORIBASIVS*²¹⁾: *Inflammationis initium est, quum pars impletur sanguinea substantia; incrementum vero, quum id quod est in loco affecto incipit putrescere, caloremque praeter naturam inuehit, effusioque et flatus gignitur. Idem fere sentit AETIVS*²²⁾: *Est inflammationis principium, quum primum pars sanguinea materia repletur; augmentum vero, quando affluxus cessat, et sanguis in loco affecto dissolui incipit. Atqui tunc caloris incrementum et diffusio. Haud aliter PAULUS AEGINETA*²³⁾: *Inflammatio*

20) GALENUS ad Glauconem L. II. C. I. cf. Method. medendi L. XIV. C. II. ubi de inflammatione viscerum differit.

21) Synopf. L. VII. C. XXIV.

22) Tetrab. IV. Serm. II. C. XXXI.

23) De re Med. L. IV. C. XVII.

Stimulatio est tumor rubicundus renitens, cum dolore et calore, ex sanguine bono ortum habens, qui quandoque ex toto corpore eo defertur, quandoque in ipsa parte redundat, ut a vasis contineri non possit, sed instar roris emittatur in intermedios vacuos locos. Neque aliter de sede inflammationis disputarunt, Celeberrimi superiorum saeculorum scriptores. IO. FERNELIUS²⁴⁾, quum enim venae arteriaeque minores, immoderata sanguinis copia distenduntur, in minores quasi onus deponunt, et ex his demum in minimas. At cum per earum oscula perque tenues earum meatus, sanguis cohiberi non possit, effluit, illabiturque in spatia vacua, quae intra fibras sunt primorum corporum, praecipueque vasculorum. Recte itaque hanc opinionem veteribus propriam fuisse, scripsit nuper ABR. VATER²⁵⁾, Anatomicus Celeberr. Neque humor, inquit, extra vasa in vacua dilabitur spatia, ut antiquitas voluit. Verum tamen superiore iam tum saeculo ante BOERHAVII aetatem, illa opinio coepit a nonnullis labefactari; fusc contra hoc placitum disputat CORN. BONTEKOE²⁶⁾,

A 5

negans

24) Pathol. L. VII. De externis corporis affectibus C. V. p. 594. Ita quoque intelligo VIDUUM VIDUUM Opp. T. I. L. IV. C. VI. p. 391. qui sedem inflammationis quaerit in poris partium solidarum.

25) Diff. de inflammationis theoria mechanica, Vitembergae 1733.

26) Nouum Systema Chirurgiae P. III. C. III. §. IV. Aliorum placita de sede inflammationis omnia lu-

negans adeo sanguinem inflammationis materiam esse. Clare etiam patet in IEREM. LOSSII²⁷⁾ viri olim docti libello, HALLERI doctrinam superioribus nuper saeculis floruisse. Ita enim LOSSIUS §. 29. *Et primo quidem illos mirari satis non possum, qui causam inflammationis proximam, autumant esse effluxum sanguinis*

dibrio habet, propriam sententiam nullam proponit.

- 27) vid. LOSSII Diff. de Inflammatione 1683. Neque veteres aliter poterant in illa *καρρυχυμια* doctrina, de sede inflammationis disputare. Namque veteres parenchymate non sanguinem gelatum intellexisse sunt existimandi, vti nonnullis placuit, sed propriam cuiusque partis substantiam, quam alii cellulofam telam, alii carnem dicerent, et in qua sanguinem quiescere putarent. Clare hoc patet in multis GALENI locis. Ita v. g. Method. med. L. XIV. C. II. scribit: *Visceribus etiam propria caro est, quam alii καρρυχυμα vocant, in quam sanguis ex repletis vasis balitus specie exudat.* Neque ERASISTRATUS, qui primus olim parenchyma docuisse perhibetur, in eaque causa ipso GALENO multo seuerior erat, aliter sentiebat, teste antiquo et anonymo scriptore apud ORIBASIIUM, Medicinal Collect. L. XXXIII. C. XIII. De Pulmone: *Vasorum intercapedines a propria substantia pulmonis implentur, quam ERASISTRATUS parenchyma nominat.* Ideoque vel ex illo CELSI loco Praef. p. 5. quem PATER meus adduxit, haud poterit Boerhauianae doctrinae antiquitas probari. Nam CELSUS ibi ERASISTRATI doctrinam obiter tantum attingit, quem aequae ac caeteros, illam sanguinis exudationem agnouisse, a vero propius est.

sanguinis in porosam atque cauernosam partium substantiam. Neque tamen LOSSIUS in minimis arteriis inflammationem collocavit, (nam de Harueiano circuitu valde dubitabat), sed in fibris muscularibus, quas cauas sibi fingeret, cum aliis nuper claris viris.

Peculiarem nuper de inflammationis sede hypothesein proposuit THEOPHIL. BORDEU²⁸⁾, quae vt recte intelligatur a lectoribus nostris, illa Viri doctrina de cellulosa tela et de contextu mucoso iam breuiter explicanda est. Totum fere corpus humanum, quod fibris plerique contexerint, tela cellulosa confectum esse sibi persuadet, adeoque nutritionem omnem neglecto glutine fibris interponendo, ad cellulosae telae supplementum quoddam reuocandam putat. Materiam nutritionis in sanguine circumfluentem, esse *contextum mucosum* quendam, qui de vasis emissus, telae cellulosae circumfundatur. Hunc *contextum mucosum* similem esse telae cellulosae, quae aequae sit ac ille rudis ac indigesta materia, quam perperam alii *organicam* dicant. Materiam, ex qua contextus mucosus ille conficiatur, esse in parte mucosa sanguinis, eamque ab ipso contextu, et deinde a tela cellulosa, densitatis tantum ac fluiditatis modo differre. Hanc partem sanguinis mucosam, vi vitae aucta atque concitata, excuti de sanguine, et
ad

28) vid. Recherches sur le tissu muqueux par Mr. BORDEU, à Paris 1767. p. 173.

ad telam cellulofam delatum, praeter naturam fe ac violenter ibi expandere, indeque tumorem facere; ex qua tandem materia, pus gignatur. — Quid fit in hac fententia verum, in qua maius eft robur ingenii, quam obferuationis, me intelligentiores videant.

Sede morbi iam explorata, fupereft vt de caufa eius dicamus. PATER quidem meus a Boerhauiana doctrina hic defluxiffe videtur (vid. §. 30. *Institutt. Chir.*), quae fua iam tum aetate a Stahlianis labefactabatur. Et fane HALLERI²⁹⁾ experimentis euictum eft, fanguinem aestuofius non moueri, ad eas arteriarum fedes, in quibus impedimentum fit, fed ftatim in ramos a latere difperfos com- meare, adeoque illi impedimento promo- vendo, nullam eius vim intendi. Eadem res manifefta eft in aneurifmate, vbi tantum abeft, vt fanguis ad arteriam deuinctam impetuofius feratur, vt placide in ramos a latere emergentes fluat, his etiam praeter modum diftensis. Hoc etiam clare patet in funiculi umbilicalis deligatione, et in tot arteriarum obftructionibus, quibus nulla febris accendatur. Multo minus fanguis, qui in cellulofa tela quiefcit, vel renixu fuo, febrem potest conci-

29) vid. *second Memoire sur le Mouvement du Sang* Exp. 54. 92. 93. 94. 180. 187. cf. *Eiusd. Elem. Physiol. T. I. p. 117.* MACKBRIDE *Methodical Introduction to the Theory and Practice of Physic*, p. 158.

concitare, quod manifestum est in ecchymosi, et in sani etiam corporis vicissitudinibus nonnullis. Nam in ea me opinione esse profiteor, ut sanguinem, sine praesente inflammatione, in cellulas emitti, ibique per aliquod tempus cum adipe quiescere existimem. Inde intensus quorundam hominum rubor; inde purpureus papillarum mammariarum, verendarum partium, labiorum, linguae et faucium color. Inde nativae sanitatis imago illa, in rusticis puellis, quarum genae totae ardent, iuventute, labore, sanitate et amore. Quibus vino sanguis calet, vel ingenii aut animi impetu intenditur, in his manifesto ille in cellulas digressus est, qui sedatis corporis vel animi turbis, a venis iterum reducatur.

Qua de re vel in arteriis minimis, vel in tela cellulosa sanguis inflammatus quiescat, quibus ille causis inflammetur semper quaerendi locus superest. Hanc in animae quadam concitatione STAHLIUS³⁰⁾ addito etiam *tonico vasorum motu*, olim quaerebat, quod summi viri placitum, ita nuper temperarunt huius disciplinae fautores, ut ad neruorum irritationem febris causam reuocarent. Ornarunt nuper hanc sententiam IO. GORTER³¹⁾,

FR.

30) vid. STAHLII Diff. Inflammationis Pathologia vera. Motum tonicum vitalem auctiorem esse dicit in parte inflammata. cf. ALBERTI Introductio in Medicinam p. 258.

31) vid. IO. GORTERI Exercitatt. IV. Amst. 1737.

FR. BOISSIER DE SAUVAGES ³²), ROBERTUS WHYTT ³³), DAVIDES MACKBRIDE ³⁴), nuperque Cl. FABRE ³⁵), vt omittam Perill. HALLERUM ³⁶) et alios doctos viros huic sententiae

p. 35 et 37. *Obstructio non est causa inflammationis, verum motus vitalis in arteriis minoribus.* cf. locus apud GORTERUM, quem PATER meus allegavit in not. ad §. 31.

32) Theoria inflammationis §. 159. cf. Eiusd. Nosologia method. T. I. Ed. m. p. 381. et passim.

33) Physiological Essays 1761 p. 35. cf. p. 59 seqq.

34) Theory and Practice of Physic. T. I. p. 159.

35) vid. Essay sur differents Points de Physiologie, 1770. p. 97 seqq.

36) Elem. Physiol. T. I. p. 117. eandem sententiam fouet. His stimulis vasorum minimorum multum tribuit Ill. GAUBIUS Pathol. §. 195. cf. GERARDI Triga Dissertat. physiolog. 1763. p. 37. Tale quid iam olim docuit Cel. FERREIN, quod memini me apud HALLERUM legere. Nunc autem clare hoc patet in posthumo FERREINI libro; Elémens de Chirurgie de Mr. FERREIN. mis en Ordre par Mr. GAUTHIER, Tom. I. a Paris 1771. Boerhauianum errorem loci admittit ille quidem, sed inflammationem stimulis et spasmis cieri existimat. vid. etiam TH. HOUTSTON Diss. de Inflammatione, Lugd. Bat. 1767. Ad Hallerianam *irritationem* fibrarum, hanc sententiam GAUBIUS praesertim accommodauit. Legi etiam me etur Amiciff. BALDINGERI et WEISII Diss. de irritabilitate morborum genitrice lenae 1772. et Cl. GATTENHOFII, Heidebergenf. Prof. Diss. Venae sectionis Indicationes 1771. p. 52. Interim tamen ipse HALLERUS (si recte equidem intelligo Summi Viri scripta) *irritationis* doctrinam suam, ad hanc causam noluit accommodari.

sententiae fauere. Et multa sane sunt argumenta, quibus ea probetur. Primum enim multae inflammationes irritatione fiunt, vel iam factae exacerbantur, quod in panaritio, in venenorum et in aliorum peregrinorum corporum noxa, clare patet. Quid quod internis acrim humorum stimulis, in omnibus corporis sedibus inflammatio accenditur³⁷⁾. Deinde ita quaeuis corporis pars ad contrahendam inflammationem manifesto est propensior, ut vel ad sensum, vel ad irritationem fuerit acutior. In vulnerum noxa haec res tam clare patet, ut mirer vehementer ac paene obstupescam, quo modo potuerit nata in his inflammatio, ad istam obstructionis doctrinam torqueri. Ea vero tam alte infederat quorundam ingeniis, ut in vulneribus mallent a coacto circa vasorum oras sanguine, obstructionem circa vulnus nasci, indeque febrem cieri dicerent³⁸⁾. In qua disputandi ratione manifesta

37) Ipse BOERHAVIUS Aphor. 577. dicit, praeter obstructionem causam adesse, qua cor laceffatur.

38) Ita SWITENIUS T. I. p. 207. Ed. Paris. ad §. 158. n. 5. ad BOERHAVII mentem vulnerum inflammationem explicat: *Cum vasa discissa proprio elatere contrahant sua orificia, imo fere claudant, humores soliti fluere per haec vasa sistuntur, hinc nascitur tunc circa labia vulneris obstructio et impetus vitae, a tergo urgens fluida in vasa obstructa, illa dilatas ante locum obstructum, unde nascitur vera inflammatio. Solo ingenio hanc explicationem niti, manifestum est.*

manifesta est ingenii humani imbecillitas, quod propriis opinionibus occoecatum ad ipsam naturae lucem hebecit. Veram autem inflammationis causam nosse, haud parum interest, propter instituendam curandi rationem. Ita v. g. largae illae ac profusae sanguinis missiones, post amputationem membrorum administrari solitae, et quae a plerisque hodie vituperantur, ab ista obstructionis pathologia mihi natae esse videntur, ut alia omittam.

Qui a nervorum irritatione inflammationem nuper repetierunt, minimorum vasorum oscillationem ad hanc causam ingeniose satis accommodarunt. Qua oscillatione quid intelligatur, tironum causa breuiter enarrandum est. Quaeritur de cordis potestate, a qua, ut vel minimas arterias liberaret IO. GORTER³⁹⁾, sanguinem ibi non cordis nutu, sed propria quadam et insita vi moueri scripsit. Hanc doctrinam, cui plurimum nuper tribuebat Cel. WHYTT⁴⁰⁾, multis argumentis ornavit Cel. FABRE⁴¹⁾, silentio tamen praetermissis HALLERI experimentis, quae eam infringant. Minimorum itaque vasculorum con-

plexum

39) l. c. Quid MALPIGHIVS olim HALESIVS aliique obseruarint de minimorum vasorum *oscillatoris moribus*, vid. apud HALLERUM 436.

40) *Physiological Essays* p. 49. et l. c. cf. MACKBRIDE *Introduction to the Theory and Practice of Physic* T. I. p. 159.

41) *Essai sur divers points de Physiologie* p. 73 seqq.

plexum sibi fingunt, et quasi ciuitatem, quae libera sit, et neque circuitus legibus, neque cordis imperio subiecta, sanguineinque propriis viribus, et a corde non pendentibus moueat per varios anfractus, et venis reddat. In his vasis inflammationis sedem, inque eorum oscillatione, motus concitatoris causam quaerunt. Vfus autem est Celeb. GORTER, argumentis et obseruationibus ad persuadendum idoneis. Nam primo quidem illa *oscillatio* minimorum vasorum a sensuum fide non abhorret, quam ipse HALLERUS viderit. Deinde obseruationibus vitro conuexo institutendis clare patet, sanguinem in minimis illis vasis, non ad cordis nutum, sed ad proprium illorum vasorum arbitrium quasi moueri, motu etiam inuerso, in vtroque illo vasculorum genere ferri. Recte tamen Perill. HALLERUS⁴²⁾ cordis monarchiae stator ac vindex, monuit, neque sanguinis turbas illas, in minimis vasis obseruandas, neque oscillationem ibi conspicuam, peculiarem in eis circuitum, propriamque et a cordis imperio exemptam facultatem demonstrare; quippe quae non insano, sed in languente et contremiscente animali contingant.

Verum tamen, si quis causam irritationis ac vim a me requirat, ingenue profiteor me, vel inuitum, ad illam oscillationem regredi.

Ne

42) Elem. T. I. p. 446. et Experiment sur le Mouvement du Sang. passim.

Ne vero quis putet me ipsum mecum pugnare, mentem meam paullo diductius explanabo. Primo quidem illam oscillationem Gorterianam, semper praeter naturam contingere puto, ita ut ne minores quidem arteriae, a cordis imperio, mea quidem sententia, sint remotae. Interim tamen persuasum habeo, sanguinis motum in minimis illis vasculis facile posse inuerti, retardari, intendi varieque perturbari, consentiente mecum ipsius HALLERI ⁴³⁾ observatione. Inter causas vero, quae possint tales turbas in minimis vasculis concitare, praecipue equidem numero irritationem, cuius ego stimulis credam, sanguinem in maiore vel minore talium vasorum complexu, impediri, retardari, perturbari atque congregari. Eadem res (quod in erysipelate manifestum est) accidere potest animi motu et praesertim terrore, quo neruuli illorum vasorum motui inferuientes agitentur. In iis vero inflammationibus, quae externo stimulo fiunt, haec res clarius patet. Acus digito infixam grauem inflammationem mouet, ad hanc ego concitandam ab initio vix opus esse arbitror cordis facultate; sufficere existimans,

UT

43) Omnia HALLERI experimenta de ea re testantur. Ipseque HALLERUS aduersus WHYTIIUM monet p. 445. vasorum *oscillationem*, si qua sit, sanguinis circuitum retardare potius ac impedire posse, quam vel accelerare, vel inuare. Caeterum Vir Summus passim ostendit arterias neque ad sensum, neque ad irritationem adeo acutas esse.

vt minimum vasculum quoddam laceffatur, quo stimulo sanguinis motus in vasis circumiectis peruertatur intercipiaturque — indeque tumoris initium. Sanguine tunc aliquantum congregato et incalescente, stimulus ille intenditur, qui vbi neruorum ministerio ad cerebrum 'commeauit', principem facultatem lacessit intenditque. Sic febris intensior; indeque noua turbarum causa in loco affecto. Quo maior itaque vasorum numerus, in quibus ista irritationis et febris vis se exserit, eo magis tumor increfcit, et calor cum dolore intenditur. His vasculorum turbis, motuque tremulo, sanguinem aut allici, aut retardari, manifesto mihi cernere videor in oculi inflammatione, quae corporis peregrini stimulis cieatur. Stimulo vel remoto, vel obtuso, inflammatio conquiescit. Et hoc forte sensu pars inflammata pro peculiari *organo secretorio* posset haberi, sicuti nuper visum est Cl. BORDEU ⁴⁴⁾ et Cl. FABRE ⁴⁵⁾. Neque tamen, vel ideo, oportet illam vasorum oscillationem in sano homine agnoscere. Caeterum non omittenda est altera illa irritatio, quam in neruis et in cerebro se exserere dixi, et a qua febris vel maxime pendet ⁴⁶⁾.

B 2

Sanguis

44) Sur le tissu muqueux. vid. FABRE l. c. p. 98.

45) Essai sur différents points de Physiologie ibid.

46) Hanc irritationem STAHLIUS nuper neruorum ministerio ad animam commeare dicebat, a qua

Sanguis itaque illis vasorum ac neruorum stimulis in locum affectum congregatur; quo foras erumpente in telam cellulofam, tumor extollitur, qui vel definitus est atque circumscriptus, vel diffusus; a quo tumoris discrimine $\pi\phi\lambda\epsilon\gamma\mu\omicron\upsilon\eta\varsigma$ ac $\epsilon\acute{\epsilon}\rho\upsilon\sigma\iota\pi\epsilon\lambda\alpha\tau\omicron\varsigma$ differentia ducitur. Ad gignendum vero tumorem, plurimum conferre arbitror, sanguinis vel alius materiae in cellulis collectae, motum intestinum solidarumque partium infirmitatem. Superioribus nuper saeculis, illi intestino motui multum tribuebatur, ita ut *fermentatio*, quam dicunt, in inflamminatis locis adesse crederetur 47). Ego vero etsi illam doctrinam iam

qua febrem vel maxime repeteret. Stahlianam anima illa, quam per totum corpus diffundebat, magnam mihi semper visa est similitudinem habere, cum HELMONTII *Archaicis* et *Spiribus sensitiuis*. Quod litterariae notitiae causa hoc loco monendum putavi: Ita v. g. HELMONTIUS ab *Archaicis* iracundia quadam inflammationem reperit. In libro, qui inscribitur *Blas humanum*, N. 28. ab initio libri Opp. p. 148. Edit. ELZEVI. 1640. Ita differit: *In molestis caloribus ut in erysipelate etc. excaudescit spiritus vitalis a causa morbifica laceffitus et quasi in iram prouocatus.* — Ponatur spina in apice digiti infixa, statim pulsus durus; et de Medicaminum Potestate haud procul ab initio N. 29. Opp. p. 381. dicit: *Archaicum sanguinis, conceptum doloris stigma inique ferre ac velut furore percitum erysipelus suscitare.* Quis non Stahlianam doctrinam in illa verborum obscuritate latentem videt?

47) Nonnulli *effervescentiam*, ab acidi et alcalini principii

iam fere explosam, denuo in scenam producere nolo: putauerim tamen, esse in ea aliquid boni ac veri, quod possit ad hanc causam accommodari. Nam observatio, modo quis ea recte uti velit, clare satis ostendi esse in inflammatis sedibus, motum quendam humorum intestinum, et aliquam *quasi fermentationem*, quae ignearum vel acrium molecularum turbis, et aëre interno expandendo cicatur. Et primo quidem per multae inflammationes fiunt ab acri quadam materia, vel extrinsecus sanguini infusa, vel intrinsecus delitescente et ad locum vexatum congregata. Insecti vel alius animalis venenati morfu protinus tumor eleuatur, concitata inflammatione. Idem in venenorum externa et interna noxa manifestum est. Eandem vim habet acris humor quicumque, quod in pustulis et criticis tumoribus luculenter apparet. Vbi vero ab externo stimulo, v. g. a spina vel acu infixâ, vel a vulneris vi, inflammatio mouetur, tunc illo ipso stimulo, et sanguis in loco affecto cietur, et ex dissitis sedibus, sicut in suppuratione fieri deinceps dicemus, noua materia, eaque peruersa et peregrina, B 3 allicitur.

principii concursu cieri sibi persuadebant. Ita vid. v. g. HEDERICI OVERKAMPII (Amstelodamenti quondam Medici Cartesiani) *Genees - en Heelkonst*, Amstelod. 1694. Chir. C. I. vid. praesertim p. 226. 227. Eadem explicatione utitur ALBRECHT in Not. ad ВОНТЪКОЕ Chir. ad §. 3. p. 365.

allicitur. Magnam autem in hac sanguinis agitatione vim esse puto aëris, qui vel maxime ignearum molecularum vi intus in sanguine expandetur. Haec aëris facultas manifesta est in adustis et in gangraenosis inflammationibus; haec enim genera manifestum emphysema adiunctum habent. Dum vero internus aër expandere se atque explodere gestit, tunc externi vis atque pressus multum imminuitur. Inde, eleuata cuticula, et ebullientibus intus liquidis partibus, tumor attollitur. Nemo enim ignorat aëris externi pressu solo, partes nostras solidas et liquidas contineri, quo remoto, statim tumor nascatur cum inflammatione. Haec res in *anthliae pneumoniae* experimentis et in cucurbitularum vulgatissima illa chirurgia, clarissime patet; quod exemplum, iam dudum a Perill. HALLERO vsurpatum, recte nuper ad hanc causam accommodauit Cel. MACKBRIDE ⁴⁸). Ipsum adeo pulsus illum, qui in loco affecto persentiscitur, illarum turbarum nuncium ac interpretem esse crediderim. Certe non poterit ille ab arteriolis obstructis repeti, quemadmodum PATRI meo ac caeteris placet. Nam vascula illa tam exigua, quibus mouendi potestas vel nulla, vel exigua concessa est, quomodo

48) Methodical Introduction p. 160. cf. HALLERI Elem. T. II. p. 169. Electricam vim in pulsu tumoris sibi reperire videtur Cl. FABRE, Essai sur différents points de Physiologie p. 119 seqq.

quomodo possint eo ipso tempore, dum suffusa sunt copia sanguinis, et distenta atque labefactata, tantam vim exserere, ego quidem aegre concipio; ut omittam, quod supra posui, sanguinem non in vasis, sed, vel maxime, in cellulosa tela quiescere.

Supereft, ut de partitione inflammationis quaedam moneam. Eadem quidem PATER meus vsus est, quam vsurpauit BOERHAVIUS ac caeteri, qui illam doctrinam sequuntur; phlegmonem ab erysipelate in eo praecipue differre sibi persuadet, quod in illa sanguis ruber, in hoc serum sanguinis obstructionem pariat. Haec omnia, manifesto nituntur in *obstructionum* doctrina illa, quam iam labefactatam esse intelleximus. Veteres a stimuli diuersitate hanc partitionem repetebant. In phlegmone sanguinis rubri ac incalescentis, in erysipelate bilis vim agnoscebant, quo illi bilis vocabulo materiam crudam et acrem in vniuersum indicarent. In *carbunculo* (ανθραξ) ignearum ac venenatarum molecularum stimulum, in oedemate tenuiorem ac minus acrem materiam ⁴⁹).

B 4

II. IN-

- 49) De veterum illa partitione vid. GALEN. Method. med. L. XIV. C. I. II. IV. Method. ad Glaucon. L. II. C. I. AEGINETA L. IV. C. XVII. ORIBASIVS in Synops. L. VII. C. XXIV. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. cf. AETIVS Tetrab. IV. Serm. II. C. LVIII et seqq. ACTVARIUS de Method. med. L. II. C. XII. p. 189 seqq. in Collect. STEPHANI. Illa veterum partitione bene vsus

II.

INFLAMMATIO VENOSA.

EX illa BOERHAVII doctrina, cui PATREM meum nimis vidimus indulgisse, consequens est illud axioma, quo et nunc scholae nostrae personant: nullam venis inflammationem accidere posse. Sanguinem in iis quiescere, varicum exemplo monitus, concedit ille quidem, sed ab inflammatione eas aequae ac caeteri, qui hanc disciplinam sequuntur, immunes fecit. Cuius mihi erroris, qui alte plerorumque animis insidet, originem in eo praesertim reperire videor, quod sanguinis iter per venas nimis expeditum faceret BOERHAVIUS, illique conicae vasorum figurae nimis multum tribueret. Vt vero de hac primum dicam, aequae in venis ac in arteriis, *conica figura* illa oculorum testimonio destituitur. Multos enim venarum ramos videmus, qui progrediendo non angustiores fiant, sed ampliores; cuius rei exemplum luculentissimum apparet in iugulari et crurali vena; hanc quidem inferius capaciore, superius angustiore esse, iam dudum notavit Celeb. MORGAGNI⁵⁰⁾. Caetera argumenta, quibus

est AMBR. PARE', qui etiam exudationem habet. vid. Lib. VI. de Tumoribus C. VII. Opp. p. 197. cf. C. XII. XIV. De carbunculo vid. L. XXI. de peste C. XXXII. p. 637.

50) Epist. Anat. Ep. XV. §. 70.

quibus venosi sanguinis celeritas demonstrari solet, aequè destituuntur vero experimentorum robore, totaque posita sunt in ingenii quadam hallucinatione. Nam Incomparabilis HALLERI⁵¹⁾ observationibus paene innumeris euictum est, sanguinis in venis circuitum lentum esse atque impeditum, et ex illa ipsa HALLERI experientia consequitur, sanguinem in his longe facilius, quam in venis posse retardari. Eius per venas iter, vel ideo facile esse atque expeditum sibi persuadent, quoniam exploratum sit, celeritatem fluidorum, cum diametri vasorum vehentium amplitudine, augeri; adeo ut is sanguis, qui antè feratur, non resistat illi, qui *a tergo* ut scholae aiunt, sequatur. Quodsi vero hanc legem scholis concesserim, aequè tamen illae mihi largientur, multis modis eam posse violari. Nam inter spasmodum turbas, silent naturae leges. Nihil frequentius est in illis HALLERI experimentis, quam sanguinis motus in utroque vasorum genere perturbatus, adeoque inuersus, ita ut in arteriis regrediatur sanguis, in venis progrediatur. Hunc motum sanguinis inuersum LOEWENHOEKIUS iam tum animaduertit; qua observatione nonnulli nuper ad labefactandam *circuitus Harueiani* veritatem abuterentur. Obstructiones viscerum, ab inuerso sanguinis venosi itinere saepius contingere existimauerim. Eritque

B 5

hic

51) Elem. Physiol. T. II. p. 347 seqq.

hic refluxus in iis venis frequentior, quae valuularum artificio destituuntur. Quapropter in capitis sedibus et in abdomine, si sanguinem in vasis quiescentem, post mortem videmus, eum non semper aliqua naturae pigritia ibi retardatum, sed inuerso motu in venas repulsum esse, existimandum est. Id vero in acutis et putridis morbis imprimis accidere arbitror. Nam in lentis aegritudinibus, in quibus propter laxitatem solidorum, neruorumque infirmitatem, naturae vis torpescit, solo lentore sanguis accumulari potest. Haemorrhoides itaque earumque varices, secundum STAHLII nuper opinionem, ab inuerso sanguinis in vena portae motu, vel maxime oriuntur, cuius coniecturae facilis est et haud inepta ad varias profusiones sanguinis accomodatio. Ad modum venosi sanguinis perturbandum, plurimum conferre arbitror vim spasmodum. Etsi enim venae ad sensum et ad *irritationem* fere hebescunt, et pulsus facultate destituuntur, multis tamen experimentis euictum est, eas spasmi quandam vim interdum experiri, adeoque contrahi et *pulsare* ⁵²⁾, dum sanguinis motus perturbetur. Neque valuularum artificio, venas aduersus

haec

- 52) De hoc pulsu venarum (in motu sanguinis perturbato) testatur SAUVAGES Inflamm. §. 110. Tale quid in vera inflammatione venis contingere BOERHAVIUS docet, vid. Praelest. ad §. 133. Venas colli micare, SCHREIBER, Almagest, Med. p. 286.

haec incommoda immunes praestabit. Illarum enim vim his turbis tandem labefactari, a vero propius est.

Neque tamen obstructiones venis contingere posse, vel PATER meus, vel alius quisquam negavit. Etenim a Celeberr. SCHREIBERO⁵³⁾ et a Doctissimo Aduersariorum practitorum Editore⁵⁴⁾ et ab aliis doctis Viris iam dudum monitum est, obstructiones venarum sanguineas frequentissimas esse, et cum arteriarum inflammatione saepe commisceri. Has tamen obstructiones ad inflammationem concitandam nihil valituras esse sibi persuadent; primo, quod cordis potentia ultra arteriarum fines nulla sit⁵⁵⁾; deinde, quod sanguis ille, qui in venis quiescat, (nam huius quietis causam in solo lentore ponunt), tenuis esse soleat atque dissolutus. Ex utroque argumento consequens esse arbitrantur, venarum tumores

res

53) *Almagest. Med. p. 200.* In eadem sententia HALLERUM esse video, qui obstructiones et inflammationes aptius dicit explicari, si a venis potius, quam ab arteriis causa repeteretur, *Elem. T. II. p. 349.*

54) *vid. Aduersaria Med. Pract. 1770. Vol. I. p. 178.*

55) A cordis imperio venas quoque pendere, experimentis olim euicit STEPH. HALES Haemostat. Exp. IX. quod totum huc pertinet. Argumentis haec experimenta confirmat HALLERUS, *Elem. T. I. p. 427.* Caeterum si in venis inflammata sanguinem quiescere dico, *minimae* intelligendae non sunt, nam in his motus sanguinis nimis facilis atque velox.

res ad opponendum cordi renixum et parum validos et dilatos nimis esse⁵⁶⁾. Demto autem obstructionis renixu, febris et inflammationis causam nullam superesse. — Summam huius disputationis vero in febris causa niti, manifestum est, quam non in obstructionis impedimento, sed in stimuli quaedam vi quaerendam esse, supra demonstratum est. — At venae ad sensum et *irritationem* hebescunt. — Ita ego quoque statuo. Num vero stimulos illos, quibus cordis vis excitetur, in ipsis venis residere necessario oportet? Nonne partes vicinae, a talibus tumoribus pungendo et comprimendo poterunt laessi? At tamen quid ad Pathologiae praecepta confugiamus, cum ipsa naturae voce¹ erudiamur? Quotidiana experientia docet, venosis tumoribus febrem accendi posse. Haemorrhoides et alii varices cum febre et pulsu duro plerumque esse solent, teste FR. HOFFMANNO⁵⁷⁾. Neque in his varicibus vllum inflammationis signum desideratur — calor, tumor, dolor, febris. Consideremus tandem effecta venosorum tumorum. Omnia se habent, ut in vera inflammatione: abscessus, sinus, fistula, gangraena, carcinoma etc.

Quae cum ita sint, vix mihi possum imperare, quin existimem, obstructions illas et inflam-

56) Inter recentiores hoc argumentum repetiit Cel. QUESNAY Tr. de la Saignée, Ed. m. 1750. p. 588. cf. Aduers. Med. Praet. Vol. I. p. 187.

57) Med. Rat. System. Tom. IV. P. IV. p. 107.

inflammationes arteriarum, quas sibi plerique videantur oculis cernere, in venis, vel saepissime, residere⁵⁸⁾. Et ab hoc sensuum errore, totam istam inflammationis doctrinam natam esse, arbitror. Caeterum, si qua venarum inflammatio agnoscenda est, nescio an sanguis, vel per ipsas venas, in cellulosa telam expellatur. Verum tamen venosa inflammatio subsistere non potest, quin cordis et arteriarum vis laceatur. Et quando interdum inflammatio sine sanguinis exudatione adesse videtur, ita ut vasculorum obstructorum rami distincti rubeant, tunc plerumque venas affectas esse, meo quidem iudicio existimandum est.

III.

CRVSTA. ORIGO PVRIS.

Communis est et plerorumque medentium opinio, inflammationis aestu serum sanguinis cogi, indeque illam pelliculam fieri, quam *crustam inflammatoriam* vulgo solent appellare. PATRIS mei iam tum aetate passim coeptum est de ea re dubitari. Et primo quidem FR. BOISSIER DE SAUVAGES⁵⁹⁾ hanc sententiam dudum labefactavit, argumento usus, quod a caloris modo ducitur, quem tantum in nulla febre intendi ostenderet, quo serum sanguinis cogatur, quod 148. gr. Fahr.

contin-

58) vid. SENAC, de Febribus L. II. C. X. p. 195, Ed. m. 1769.

59) Theor. Inflammat. §. 83 seqq.

contingere exploratum est. Cel. **QUESNAI**⁶⁰⁾. **SWITENIUS**⁶¹⁾ ipseque iam tum **SYDENHAMUS** parum mihi videntur illi crustae tribuisse. Et grauiissima sane dubitandi ratio proficiscitur a caloris modo, de quo supra dictum est. **ANT. DE HAEN**⁶²⁾ in vno eodemque aegro, cui plures venae simul secarentur, ex vna vena sanguinem crusta obductum atque densum, ex altera tenuem et crusta destitutum, manantem vidit. Neque omittenda sunt **PRINGLI**⁶³⁾ experimenta, quibus constat pleuriticum sanguinem facillime dissolui, quod contra eueniret in sero sanguinis coacto.

Similis

60) *Tr. de la Saignée* p. 405 seqq. Hanc materiam putat intus tenuem esse ac resolutam, cum sanguine emissam, quiere ac frigore cogi. cf. *Eiusd. Exercitat. in Mem. de l'Acad. de Chir. T. I. P. I. Ed. 8. p. 186.* **TH. SIMSON** olim a chyli cruditate hanc crustam petiit, vid. *Eiusd. Diss. IV. de re Med. p. 112.* In malignis febribus sanguinem album vidit crudo chylo similem **MORGAGNI**, vid. *Ep. XLIX. Art. 22.* Sanguinem inflammatione tenuiorem fieri, nuper quoque docuit **G. FORDYCE** *Elements of the Practice of Physic 1770. Tom. I. p. 5 seqq.* Crustam frigore nasci, et ex sero ac rubra parte sanguinis compositam esse putat. cf. **MACKBRIDE** *Methodical Introduction into the Physic T. I. C. VII. p. 228 seqq.* cf. **BORDEU** p. 173.

61) *Comment. T. I. ad §. 384*

62) *Rat. Med. T. I. p. 78.*

63) *On the Diseases of the Army in Append. p. 416. Edimb. 1750.* Crusta inflammatoria, neque spiritu neque sale C. C. dissoluitur, **PRINGLE** in *Philosophical Transact. A. 1750. N. 495. p. 480.*

Similis observatio existat apud MORGAGNUM⁶⁴). Nescio, a sanguinis agitatione, an ab eius quadam cruditate hanc crustam repetendam putem. Quod enim ad primum attinet, omnibus notum est FR. RUYSCHII⁶⁵) experimentum illud, qui sanguine conquassato et agitato, talem pelliculam parare solebat. Fortassis etiam SYDENHAMUS⁶⁶) tale quid hallucinatus est, qui sanguinis fibris hanc membranam constatam esse, sibi persuadebat. Novis nuper experimentis atque argumentis hanc sententiam ornavit ANT. DE HAEN⁶⁷). Interim tamen cavendum est, ne nimis eam ornemus. In multis enim lentis aegritudinibus absque sanguinis aestu, illam crustam conspiciamus. Vidit eam in podagra, in dysenteria, in rheumatismo et in putridis febribus SYDENHAMUS⁶⁸), in venereo morbo IO. A BONA⁶⁹), Prof. Patau. in permultis chronicis morbis, cum pulsu debili ac paruo, Cel. QUESNAY⁷⁰). Grauidarum sanguinem tali crusta saepius obductum esse, nemo ignorat.

Vero igitur propius accessisse videntur ii, qui a sanguinis peruersitate hanc crustam repetierunt,

64) De Sedd. et Causs. Morb. Ep. XXI. Art. 31.

65) vid. RUYSCHII Thes. VI. N. 15. VII. N. 39. Thes. Animal. I. N. 3.

66) Opp. T. I. Ed. Geneu, p. 165.

67) Rat. Med. T. I. p. 78. 79. cf. T. II. C. II. T. III. p. 118.

68) Opp. T. I. p. 302. p. 308. p. 115. p. 117. Pluræ testimonia existant apud HALLERUM T. II. p. 177.

69) Observationes Medicae, Patauii 1766. p. 89.

70) Mem. de l'Acad. de Chir. T. I. P. I. p. 186.

petierunt, quam opinionem nuper praesertim ornauit HAENIUS⁷¹⁾, et ante eum Cl. QUESNAI⁷²⁾. Et nisi egregie fallor, in eadem iam tum sententia SYDENHAMUS fuit, quod nonnullis in locis mihi significasse videtur. Nam passim dicit, pleuritidem a materia febrili non subacta et ad pectus conuersa oriri, (*a materiae febrilis praecipitatione*) idque ex illa crusta apparere. *Pleuritidem eiusmodi, quam diximus praecipitationi ortum debere, euacuati per V. S. cruoris color subindicare videtur — qui superficiem habet veri puris aemulam.* Interim tamen hanc crustam, vel maxime, sanguinis fibris SYDENHAMUS⁷³⁾ tribuebat. *Haec crusta, inquit, fortasse nihil aliud est, quam fibrae sanguineae etc.* Ab his parum differt sententia illa THOMAE SIMSONIS, de qua supra dictum est. In putridis febribus, sine violentiore aestu, hanc crustam SYDENHAMUS⁷⁴⁾ vidit,

71) l. c.

72) vid. praeter locum infra cit. Eiusd. *Traité de la Saignée* p. 415. 416. In acutis morbis hanc crustam lymphaticis humoribus vel maxime constare putat, quibus admixti sint alii succi crudi atque perversi. BOERHAVIUM confutat, qui hanc crustam pro chylo crudo habuerit, et lymphaticam ei naturam denegarit. Tale quid BOERHAVIUS nulli dixit. † Allegatur §. 867. 868. 869. ubi de hac re ne verbum quidem exstat. In chronicis morbis a pituitosis succis hanc crustam repetit Celeberr. QUESNAI ibid.

73) Opp. T. I. p. 165.

74) l. c. p. 138.

vidit, et in multis morbis, qui ab omni inflammatione alieni essent, vidit Cel. SYDENHAM, vti superius a me relatam est. Quae cum ita sint, etsi a violentiore motu illam pelliculam excuti haud negauerim, tamen aliam eius interdum originem et naturam esse persuasum habeo. Quid ergo vetat, quo minus sanguinis aliquam peruersitatem et cruditatem in illo corio pleurítico agnoscamus? In ea certe opinione Celeberr. QUESNAY⁷⁵⁾ esse video, ipsumque iam tum SYDENHAMUM⁷⁶⁾, qui materiam pleuriticam ad musculos intercostales deferri scripsit, quam sanguinis cruditatem in sanguine ex vena emissio late patere diceret. Qua de re missionem sanguinis, qui sit cum tali crusta, cum leuamine esse SYDENHAMUS notauit. Recte quoque iam dudum a solo lymphae coagulo crustam fieri negavit CAR. A BERGEN⁷⁷⁾, qui pinguedinis magnam copiam huic pelliculae ex venis redundantibus admisceri sibi persuaderet. In eadem nuper opinione Celeberr. SAUVAGES fuit⁷⁸⁾, qui a materia peregrina illam crustam potius gigni existimaret, quam a caloris impetu. Ille enim

75) L. c. p. 190 seqq.

76) T. L. p. 164. Pleuriticam materiam huic crustae similem ad membranam pulmonum reperit DE HAEN T. I. C. VII. p. 85.

77) De Inflammat. Sang. Diss.

78) Nosologia Methodica T. I. p. 294.

enim in trigesimo caloris gradu illam pelliculam vidit, lympham vero infra quinquagesimum quintum gradum non dealbescere, passim obseruauit. Inprimis vero magnam apud me vim habent PRINGLI 79) experimenta, quibus praesertim innotuit, crustam illam sanguinis sero multo esse tenuiorem, quae facillime dissoluatur et putredinem contrahat. His ille rationibus motus, septicus in illa crusta particulas delitescere scripsit, quibus motus intestinus iuaretur.

Ita etiam Celeberr. MORGAGNI 80) mihi vox interpretanda esse videtur, qui flauam crustam mali ominis esse multo usu edoctus nuper scripsit. Sanguinem grauidarum, quibus nec caloris nec motus vis illam pelliculam inducere poterat, pleuritico simillimum esse, vetus iam tum est obseruatio P. DIONYS 81). Grauidis autem illam pelliculam ab sanguinis pariter cruditate aliqua contingere, multis argumentis posset comprobari. Omnes enim prauis humores ex tenelli foetus corpore venarum ministerio ad sanguinem matris reducuntur, quae in transmittendis et recipiendis ac subigendis humoribus totum gestationis

79) L. c. p. 426 seq. in appendice libri haec continentur.

80) Ep. XXI. Art. 31.

81) *Traité general des Accouchements*, à Paris 1717. p. 69. Idem a bene multis animaduersum est vid. DE HAEN T. II. C. II.

nis tempus consumit. Lochia quoque alba tali materia obducta esse solent, quae si iam fluere desinunt paene dealbescunt. Quod reliquum est comparanti mihi, quae de crusta illa, vel vidissem, vel ab aliis accepissem, maxima semper visa est sub eiusdem nominis communiione rei diuersitas latere, quod velim memores esse tirones. — Iam nimis longus fui in hoc argumento. De sede eius pelliculae legenda sunt HALLERI⁸²⁾ et HAENII⁸³⁾ scripta, quorum alter in sero, alter in cruore eam collocavit. Ego vero eam vel totius sanguinis, vel cruoris, vel feri interdum sobolem esse puto.

Crusta inflammatoria tali modo iam cognita, multum illustratur suppurationis doctrina, quae ad nativam suam et veram simplicitatem iam defluxisse videtur. Puris enim originem qualem et PATER meus §. 54. declaravit, ab ingenio magis, quam a natura repetisse videntur nuperi scriptores. Rubri sanguinis globuli propter LOEWENHOEKII⁸⁴⁾ observationes et BOERHAVII⁸⁵⁾ auctoritatem, qui nimis multum illis tribueret, rumpi, et sic amif-

C 2

sa

82) Elem. Physiol. T. II. p. 126 seq.

83) Pertinet huc T. I. C. VI. VII. T. II. C. II. T. III. C. III.

84) Arcan. Nat. det. p. 8. et Ep. LXV. p. 157.

85) Vid. Institut. §. 226. et Praelect. ad h. l. T. II. V. 256 seqq. Cf. ANT. FIZES Traité de la suppuration 1727, qui arteriarum motibus pus confici existimat.

fa pristina densitate albi apparere credebantur, inde album puris boni colorem fieri putabatur, vasa autem ipsa et circumiectam telam cellulosam effuso humore consumi et liquefcere, et lymphæ quaquaversum affluentis beneficio illum humorem leniri, et ad futurum abscessus usum accommodari. In omnibus fere Chirurgorum libris hæc BOERHAVII vox usurpata fuit, et centies post PATRIS mei opus in tot compendiis repetita, quorum multa præter annum nihil novi indicarent.

Præ ceteris autem ante PATRIS mei librum Celeberr. QUESNAI⁸⁶⁾ aliam de hac re sententiam proposuit, quam miror a PATRE meo neglectam fuisse. Ille enim originem puris, quam caeteri in ipso tumore inflammato paullo arctius posuissent, latius regnare per vniuersum sanguinis flumen ostendit, ipsamque illam crustam pro circumfluente pure habendam esse dixit, quod deinde in locum suppuratum deferretur, et vel rupta vel incisa cute effunderetur. Hæc doctrina nuper ab Ill. DE HAEN⁸⁷⁾, omnia tamen Cel. QUESNAI auctoritate, repetita fuit, et deinde a SCHROEDERO⁸⁸⁾ et BOEHMERO⁸⁹⁾, Celeberr. Viris ductius

86) Mem. de l'Acad. Royal. de Chirurgie T. I. P. I. p. m. 193 seqq.

87) Rat. Med. T. II. C. II. p. 18.

88) Vid. Viri vere docti Diss. de Puris absque prægressa inflammatione origine, Gottingæ 1766.

89) Vid. eius Diss. de genesi materiae purulentæ absque præuia inflammatione, Halæ 1768.

ductius explanata. Ipsam naturae vocem in hac doctrina mihi audire videor, quam videndum tamen est, ut recte interpremur. Quod antequam aggrediar, PARENTEM meum a recentiorum quorundam iudicio liberabo, qui nullum pus eum vel novisse, vel in scriptis suis tetigisse censent, quod aliunde ad partem affectam veniat. Quod etsi summa cum humanitate animaduersum est a SCHROEDERO⁹⁰⁾, ad PATREM tamen meum, aequè vix poterit pertinere, quam ad BOERHAVIUM vel ad caeteros illius aetatis scriptores. Omnes enim apostemata per metastasin facta norant, quod multis testimoniis haud opus est comprobare. Abscessus sponte natos a causa interna, absque praecedente inflammatione, passim commemorati sunt in scriptis PATRIS mei, quos miror in Capite de abscessibus ab eo praetermissos fuisse, nisi forte illo loco id tantum genus explicare volebat, quod in externis partibus post inflammationem oriri solet. Ita in dissertatione de cohibita suppuratione⁹¹⁾, illos abscessus, qui inflammatione contrahuntur, ab iis qui sine hac a causa interna fiunt, accurate seiunxit. *Haec non solum in abscessibus observantur, qui ex vexatis oriuntur, et si in parte quadam inflammata pus oritur, sed etiam*

C 3

si

90) L. c. p. 3.

91) I. Z. PLATNERI Opuscula T. I. p. 231. CELSUS L. VI. C. XVI.

si quae per se intumescunt, et pus alunt, id quod accidit, si per μεταστροφή, pestilentiis, aut alius morbi materia, in tumorem exit, atque in hoc meatus facit. Et paullo post §. 16. maiorem suppurationis necessitatem esse dixit in tumoribus iis, qui ab humore intus circumfluente et ad externam sedem aliquam delato, extollerentur quam in caeteris, qui inflammatione fierent. *Tales metastases inquit in febribus fiunt. praecipue ad glandulas, in quas morbi impetus et materia conuertitur.* Late patet in toto isto libello Viri sententia, addito imprimis illo loco CELSI. Neque vnquam PATER meus scripsit, sine inflammatione pus fieri haud posse, quod IO. GRASHUISIUM⁹²⁾ nuper scripsisse miror.

Deinde apud multos et illius praesertim aetatis scriptores latius patet inflammationis vox, qua febris et motus intestini vim quamcunque intelligunt. Ita febris dicitur *accendi* CELSO ET FERNELIO, et aliis, qui verborum proprietati studuerunt. Ita etiam passim in libro de suppuratione intelligendus est Cel. QUESNAY, qui sine inflammatione pus fieri, hoc quidem sensu negavit. Sed alio loco latius patet, quid sentiat. Nam in acutis morbis purulentam materiam cum vrina deiici, vel si hoc non contingat, abscessum fieri, perspicua oratione docuit: *d'où il paroît visiblement, que la fièvre, qui est une inflammation*

92) Vid. Prix de l'Acad. Royal. de Chir. T. IV. p. 11.

flammation générale de la masse du sang, supplée dans les dépôts, dont on vient de parler à ces inflammations particulières & locales, qui précèdent toujours la formation & la coction du pus dans les autres absces^{92)}.*

Neque Ill. DE HAEN primus fuit, qui a crusta inflammatoria puris originem duceret, et vtramque materiam pro eadem haberet. Nam ante PATRIS mei librum iam tum Celebr. QUESNAY⁹³⁾ ita docuerat, pus gigni ex eadem materia gelatinosa, quae ineunte febre sanguini adhaereat. „*Cette humeur glaireuse & endurcie (crusta phlogistica) — est entièrement reténue dans les vaisseaux, jusqu'à ce que leur jeu excessif l'ait convertie en cette matière purulente.*„

Duplex itaque nouae doctrinae est quaestio, altera qua ostenditur, non in tumore pus gigni, sed ex sanguine eo deponi, altera qua materia puris ab ipsa crusta phlogistica repetitur. Quod ad primum itaque attinet, de apostemate per metastasin facto iam non quaeritur, id enim non in loco affecto nasci, sed a peruersa materia aliunde adueniente fieri, nemo vnquam dubitauit, quod facile ego possem ex veterum et recentiorum monumentis probare; otio vero ad ieiunam vanitatem abutuntur, qui ex scriptorum testimoniis confirmant, quod nemo negauerit

C +

rit

92*) Mem. de l'Acad. T. I. P. I. p. m. 191.

93) L. c. p. 198.

rit 94). Sed id iam paullo curiosius disquirendum, num pus, quod in caetero abscessuum genere se prodit, in sanguine ipso conficiatur. Id quidem non ausus est affirmare Cel. QUESNAI, affirmavit autem Cel. DE HAEN 95) et Excell. SCHROEDERUS 96). Et multae sane rationes eaeque grauiissimae nouae doctrinae fauere videntur. Nam ex leui et angusto vlcere tanta quandoque puris copia emanare solet, cui neque continendo, neque praeparando, illa vel tumoris, vel vlceris angustia par esse poterat, cuius rei exempla quaedam exstant apud Ill. MORGAGNUM 97). Vidi ego iuuenem, cui ex femoris vlcere a scabie intempestiue repressa nato, tanta vis puris exiret, cui excipiendae lintea quam plurima quater per diem permutanda vix sufficerent. Idem in fonticulorum largis profluuiis late patet. Et his ipsis vlceribus chirurgiae artificio paratis, quamcunque materiam peruersam educi exploratum habemus, ita vt clausis iis in summum discrimen homines coniiciantur. De vlceribus quoque natura factis sanguinis

94) Omïssis innumeris locis sufficiat iudicasse HIPPOCRATIS Epid. L. VI. Sect. IV. Cf. DURETUS in Coacas Praenot. p. 264. GALENUS de differ. febr. L. I. C. VI. CELSUS L. VI. C. XVI. PROSPER ALPINUS de praesagienda vita et morte L. VII. C. XXI.

95) T. II. C. II.

96) L. c.

97) De sedd. morb. Ep. V. Art. 5. et 13.

guinis cruditatem quamcunque effluere compertum est. Vidi equidem virum, qui foetidissima scabie vexatus, accepto in extremo pede impetu et nata in ea sede exigua inflammatione, fluente pure eoque parum male olente a pristinae aegritudinis incommodo liberaretur. Quibus ulcera in pede v. g. ab ictu nata vel naturae, vel chirurgiae beneficio tandem coaluerunt, quae in obesis hominibus diuturna esse solent, ii si forte in eadem sede denuo iniuriam accipiunt, largas statim ac diuturnas suppurationes experiuntur sine magna inflammatione. Et denique si parcior est puris effluxus in ulcere, quod iam sanari incipit, crudam materiam in lotio quandoque deponi animaduersum est. Indeque ratio petitur, cur in excutienda et soluenda sanguinis cruditate et in ducenda aluo vel mouendo lotio, maximum aduersus ulcerum pertinaciam auxilium contineatur.

In noua autem doctrina tuenda, superest vt occupata obiectione omnem, vel tironibus, dubitandi rationem eximamus. Ea, quae iam a me exposita sunt, latissime patent. Sed ex his quae a ratione et vsu ducuntur, quomodo pus in criticis abscessibus, vel in iis, qui impurum corpus inuadunt, aliunde ad locum affectum adueniat, intelligetur quidem, sed qui sint eius fontes in sano corpore, in quo nulla vel sanguinis vel lymphae, vel bilis peruersitas delitescat, iustissimus superest dubitandi lo-

cus, quem si iam non occupemus, verendum est, ne tota disputationis arx funditus deiiciatur. Quod si enim in tali exemplo contingere possit, ut pus in ipso tumore conficiatur, aequè poterit id in caetero tumorum genere contingere; neque tunc opus erit materiam, quae in ipso loco vexato in promptu est, ex dilstitis corporis sedibus auocare.

Verum quidem est eas suppurationes, quae vel propter animi vel corporis impetum sanis corporibus contingunt, aequè largas esse atque diuturnas. Etsi vero in his nulla humorum malignitas adesse dicatur, nescio tamen an quis mortalium ea floreat sanitate, ut ab omni humorum immunditie alienus possit haberi. Deinde si raram atque inusitatam hanc felicitatem multis largiamur, quotidiana quasi corpori humano est cruditas sua, quod etsi eandem in aluum et in renes deponit, vel perspiratione emittit, tamen omnis generis succis omni tempore refertum est. Nam euiectum est, omnes illos humores, qui olim aut filtri artificio, aut fermentorum turbis in ipsis glandulis et visceribus transformari putarentur, in sanguine contineri, et cum eo per vniuersum corpus circumduci. Chylus itaque, semen, lac, adeps, saliuæ, et bilis, omnes ut paucis dicam humores corporis nostri sanguinem vndique circumfluentem concomitantur, qui hoc onus suum in partibus ad illud et excipiendum et ferendum idoneis deponat.

ponat. Etsi autem cuique humori proprium domicilium dicauerit natura, vel, si ille emitendus est, propriam viam suam muniuerit, potest tamen quilibet humor in qualibet corporis sede peregrinari et per quemque corporis meatum exire.

Est vero perpetua naturae lex, ut humores in sanguine habitantes in eum locum congregentur, qui quocumque stimulo laceffitus fuerit. Quid ergo mirum, si inflammationis stimulis humores illi in sanguine circumfluentes, ad locum affectum quam plurimi alliciantur? Sunt tamen huius naturae legis permultae cautiones. Primo enim si stimulus vel facultate leuior, vel tempore breuior sit, ii tantum succi ad laceffitam partem copiosius ferentur, qui ad eam ferri sua natura soliti sunt. Si autem acrior fuerit ille atque diuturnior, tunc cuiuslibet generis succi, a caeteris corporis sedibus ad locum vexatum conuocantur. Hoc manifestum est in his, quae alvum ducunt. Leniore medicamento cum cruda materia intus habitante non nisi ii humores prouocantur, qui in intestina per minima vascula emitti et per ea educi soliti sunt. Acriore autem pharmaco praeter hos, vrinam, sudorem, oleum, adipem, lac, semen et lympham demum ipsam prouocari et eici compertum est atque exploratum. Multum etiam confert viscerum bonitas. Ita enim facilius ad alienas sedes migrare solent humores nostri,

nostri, ut viscera quaelibet ad eos vel excipien-
dos, vel conficiendos, vel expellendos in-
eptiora fuerint. Ita lac in iis, quae diffi-
cilius illud conficiunt, lenissimo alui stimulo
auocatur. Quibus hepar quiescente humore
occupatur, iis facilius poterit vel ad renes,
vel ad cutim, bilis vel naturae, vel medica-
mentorum impetu duci.

Haec itaque si iam ad suppurationem ac-
commodemus primo in iis, quibus peruetfi-
tas succorum contigit, vberima est mali pu-
ris materia. Qui humorum munditie florent,
iis, si stimulus lenior est, pus ex ea materia
conficietur, quae in cellulas effundi solet.
Erit autem huius, propter stimuli vim, maior
affluxus. Atqui non oleo tantum, sed gelatinae
quoque in adiposam tunicam via patet, quod
Perill. HALLERI⁹⁸⁾ obseruationibus certum
est. Iisdem vero succis pus confici quis igno-
rat? Si autem simul viscera suo ministerio
non

98) Elem. Physiol. T. I. p. 44. Vulnerum suppurationem, in qua serosam quandam haemorrhagiam agnouit Celeberr. QUESNAI, ab humoribus tunicae adiposae propius repetendam esse, grauis Auctor est Celeberr. LOUIS: *Cet écoulement est proportionné à la quantité des cellules, qui répondent à la surface de la playe. Ce n'est pas une sécrétion nouvelle dans la partie, comme on l'a imaginé; c'est l'excrétion des sucs, lesquels sans la solution de continuité seroient déposés dans les cellules de la membrane adipeuse, & y seroient modifiés différemment.* Mem. de l'Acad. T. IV, P. II, p. m. 203.

non bene defungantur, alii quoque humores huic inflammationis stimulo obtemperabunt, et ad affectum tumorem trahentur, unde copiosior ac longior suppuratio. Ex his intelligitur, cur suppuratio, quae ab externa causa nata fuit in bene valente corpore, sine vilo quandoque malo desinat, si crassa cum lotio deliciuntur.

Haec mihi iam accurate comparanti cum PARENTIS mei et caeterorum illius aetatis scriptorum doctrina, sub verborum quadam diuersitate magna rei similitudo latere videtur. Hunc enim puris ex dillicis locis affluxum neque PATERMEUS, neque BOERHAVIUS ignoravit; enim multa de lymphavndiquaque ad tumorem affluente scripserunt. In eo itaque omnis eorum error versatur, quod sanguinem in tumore quiescentem liquefcere, et cum tunicae adiposae, tum ipsorum vasorum fibras excidi putarent, indeque puris materiam maxime repeterent, de qua re iam ante PATREM meum dubitavit CAR. A BERGEN⁹⁹⁾. Illi etiam puris resorptioni nimis multum tribuere videntur, de qua valde ego dubito, ita vt ea mala, quae a reducto pure duci solent, a materia purulenta ex sanguine excussa et a viscerum, quae illis turbis suo officio exequendo impares fieri probabile est, inertia et hebetudine quadam repetenda putem. Vasa enim dilacerata pus tanta aviditate

99) Diss. cit.

tate forbere vix credo. Interim propter vulneris munditiam et curationem commodum esse arbitror, quod in praescisis membris nuper magni usus cognouit TH. KIRKLAND¹⁰⁰⁾, vulnere spongiam cum linamentis superhabere, quae malam materiam fugat et a vulnere auertat, etsi hanc rationem Cl. Vir propter puris resorptionem maxime proposuerit.

Neque tandem silentio praetereundam esse arbitror Celeberr. FABRE¹⁰¹⁾, Chirurgi Parisini Experientissimi, opinionem, quam in novissimo libro superius iam tum a nobis laudato proposuit. Illa vero a pristina BOERHAVII doctrina parum discrepat, ita ut cum ea possit, si a verborum differentia discesseris, conciliari. A BOERHAVIO enim in eo maxime dissentit Vir Celeberr. quod pus non artiarum ictibus confici, sed ignis quadam vi coqui in ipso tumore inflammato existimet. Neque enim, ait, iste artiarum motus ad excutiendam materiam illam satis est vehemens, qui si tantam potentiam haberet, in omni febre concitatore futura esset suppuratio in omnibus artiarum angustis. (Atqui febris motu intensiore pus, vel materiam quandam de sanguine excuti libenter concedimus.) Caeterum vero puris officinam in ipso tumore collocavit,

100) The Medical Inquiries and Observations by a Society of Physicians in London, Vol. II. N. 23.

101) Essais sur différents points de Physiologie, Pathologie etc. p. 120 seqq.

locavit, neque veram suppurationem a confluxu humorum ex diffitis corporis sedibus colligi, quam in ipso tumore nasci existimaret. Suppurationem igitur ab effluxu saniosi humoris seiungendam esse arbitratur, quod ab Ill. HAENIO, quem nos in hoc genere fuimus secuti, commixtum esse existimat. Interim tamen igniculorum suorum stimulis, humores ex diffitis locis ad tumorem affectum allici concedit, et in hoc ipso parum a nostra sententia abhorret.

Quam doctissimi Viri sententiam accurate mihi contemplanti, parum illa et aduersus ANTONIUM DE FIZES, in quo confutando maxime illa versatur, et aduersus HAENIUM visa est valere. Quod si enim, ut de pristina doctrina dicam, in ipso loco affecto puris quaedam agnoscenda est praeparatio, aequae illud arteriolarum ictibus, ac ignis illo intestino motu fieri posse certum est. Primum enim etsi recte animaduersum est in medio tumore, in quo pus concipiatur, istos arteriarum motus non contingere, cur non possit circumiectorum vasorum micationibus materia confici et in mediam tunicam cellulosam quaquaversum congregari atque deponi? Deinde sanguinis igniculi, nonne istis ipsis arteriarum ictibus extricandi sunt atque excutiendi? Poteritne adeo in illa Viri doctrina, sine vasorum ministerio suppuratio contingere, cum omnia sanguinis incendia arteriarum
ruin

rum motibus cieri compertum habeamus? Neque hanc caloris in coquendo pure facultatem pristinae doctrinae fautores neglexerunt, a qua dissolutionem et putrefactionem impacti sanguinis omnes repeterent. Neque vero arteriarum ictibus, neque igniculorum vi tumor nobis adeo videtur ad pus concipiendum indigere, quod sine utroque auxilio igni et foueri exploratum habemus certissimis argumentis, quae superius a nobis fuerunt tractata.

Quod PATER meus §. 84. et 85. febre ac horrore praesertim pus in tumore inflammato futurum indicari docet, id etsi a plerisque sic contingere dicaturet plerumque vere contingat, tamen haud perpetuum est. Nam sine febris signis in abscessum inflammatio conuertitur, cuius rei exemplum nuper commemoravit Celeberr. MORGAGNI¹⁰²⁾, addita HIPPOCRATIS auctoritate, qui etsi aliter docuisset, eo tamen in loco sine febre pus quandoque confici monuit.

102) De causis et sedibus morborum. Ep. LV. Art. 16. Cf. SCHROEDER l. c. §. 19.

SUPPLEMENTVM II.

AD

VVLNERA PERTINENS.

I.

VVLNERVM SANATIO.

Externæ corporis humani aegritudines etsi coram sint et in conspectu positæ adeoque præter sensuum iudicium aliud postulare non videantur: ita tamen quandoque oculorum aciem effugiunt, vt earum vicissitudines et incrementa ratione et ingenio fingi magis possint atque animo repræsentari, quam sola naturæ notatione cognosci. Ingenio itaque acuenda est ista sensuum hebetudo, quod abdita quæque detegit et vbi oculorum luce destituamur, propriam nobis lucem suam accendit, a qua nihil est in toto hoc rerum complexu remotum. Hæc autem ingenii lux, nisi ratione temperetur, et celeritate et vi nocet, fictæque falsæ naturæ imagine in maximos nos errores coniicit, tandemque vbi semel ista imaginaria specie fuimus decepti, ita mentis aciem suffundit, vt ad contemplandam naturam hebescat, et in

E. Plasn. Suppl.

D

media

media luce, ut aiunt coecutiatur. Haec res, quam aliis argumentis destitui optabile foret, in vulnerum doctrina manifesta est. Ea enim tota fere coniectura continetur, et iisdem argumentis nititur, quibus talis medentium coniectura niti plerumque solet, nempe a consilio naturae petitis, cui sanationem partis affectae, et acceptae iacturae reparationem propositam esse certum habetur. Inde nata est tota illa narratio de vulnerum repletionem, quam et in *Institutt. Chir.* et in omnibus fere omnis aevi chirurgorum monumentis traditam legimus. Inde natum callidum istud de quinque stadiis commentum. Inde denique quinque auxiliorum genera. Naturae autem quemadmodum modi certi ac fines in omni sanationis auxilio praescripti sunt, ita quoque harum coniecturarum, quae a consilio naturae ducantur, multae sunt cautiones, quibus neglectis in gravissimos medentes incurrere solent errores et generi humano perniciosissimos. Etenim multiplex facta est vulnerum curatio, propterea quod naturae auxilium in vulneribus sanandis multiplex sibi finxerant medentes. Hodie vero postquam reiectis tot ac tantis naturae artificiis, veram ac nativam illam naturae simplicitatem in vulnerum progressionem agnoscere coepimus, vulnerum quoque chirurgia ad naturalem suam simplicitatem defluxit. Quod si enim omne medendi negotium in naturae quadam imitatione

tione versatur, ita certe in medendo erimus simpliciores, ut naturam magis talem esse viderimus.

Duo itaque in primis loci emendandi sunt in P A T R I S mei Chirurgia, vnus qui versatur in describendo vulneris decursu, alter, qui praecipit medendi rationem. Vulnerum autem duplex est genus; vnum cernitur in continui solutione, alterum, praeter hanc, propriae carnis iacturam patitur. Hoc genus, de quo praesertim disputabitur, ne vocabulis oratio destituatur *vulnus cum iactura* dicemus. Sunt alia utriusque genera communia, alia singulo generi propria quaedam accidunt. Commune est omnibus vulneribus inflammari, pus concipere. Proprium est simplicibus plagis, quae gladio fiunt, glutinari. Haec quae sunt cum iactura reparantur, et cicatrice obducta clauduntur.

De suppuratione nihil adeo habeo, quod ad P A T R I S mei orationem moneam, nam hic locus iam supra est a nobis tractatus. Ex qua disputatione nostra memores esse oportet tirones pus, quod de vulnere exire solet, ex tunicae adiposae loculis emanare, in quos doloris stimulis humores quamplurimi alliciantur. Neque etiam Celeberr. QUESNAY¹⁾,

D 2

hae-

1) Traité de la suppuration p. 86. Suppurationis peculiare aliquod genus posuit V. Cl. in feri proventu ex vasis serosis vulnere apertis. Reiecit hanc opi-

haemorrhagiam serosam repudiabimus, quae nec a sensuum fide, nec a naturae auxilio abhorret. Ea enim in simplici vulnere et manifesta maxime, et ad continendas vulneris oras necessaria. Inflammatio, quae vulneribus superuenit, a sanguine coacto vasa praescissa obturante, cur repetatur non intelligo, cum a stimulis doloris eam accendi manifestum sit. In vulnerum enim inflammatione latissime patent, quae supra de huius in vniuersum causa et sede disputauimus.

De vulneribus autem, quae sunt cum carnis aliqua iactura, propter instituendam curationem multum interest dignoscere, vtrum id quod ablatum est de carne, iterum increseat, an sine iacturae reparatione illa claudantur. De qua re idem sentit PATER meus, quod sentiunt paene omnes. (§. 351.) Carnem enim nouam emergere eaque vulnus impleri existimat, vti ex toto illo loco de vulneribus manifestum est. Huius autem opinionis, qua omnes scholae personant et omnes libri abundant, argumenta maxime proficiuntur a loci vulnerati incremento; nam plaga, qua etiam paullo profundius caro abscissa fuit, iterum extollitur in pristinam altitudinem et mox circumiectarum carniū, quae integrae sunt; superficiem aequare videtur. Deinde
ista

opinionem Cel. FABRE v. Mem. de l'Acad. T. XI. Ed. m. p. 136. et Eiusd. Essais sur différents points etc. p. 207.

ista tubercula carnosâ adducuntur, quae pro vulneris ratione rubent atque palleſcunt, et pro nouae carnis ſobole haberi ſolent. Tertium denique argumentum ducitur a nonnullis naturae artificiis, quibus, non in animalibus tantum atque plantis, ſed in ipſo adeo homine integrae partes ademptae reſtituantur.

De hac autem carnis reſtitutione, quae HIPPOCRATI ²⁾ iam tum et GALENO ³⁾ dubia videbatur, aliquot ab hinc demum annis denuo coeptum eſt dubitari. Quis primus, de hac opinione euellenda cogitarit parum intereſt. NAT. IOS. PALLUCCI ⁴⁾, Chirurgus Vindebonenſis, laudatur a Cl. EYTINGIO ⁵⁾, qui nuper admodum diligenter de hoc argumento ſcripſit, et poſt hunc Cl. BERTRANDI ⁶⁾, qui certe, antequam Gallorum de hac re ſcripta prodirent, a. 1763. in extremo libro clare ſatis mentem ſuam expoſuit. Interim tamen Cel. FABRE ⁷⁾ primam de hoc argumento diſſertationem a. iam tum 1752. in Academia Regiae Chirurgorum conuentu reci-

D 3

tauit,

2) Aphoriſm. Sect. VI. Aph. XIX.

3) De Conſtitut. Art. Med. C. XII. cf. CELSUS L. VII. C. IX.

4) Nouvelles Remarques ſur la Lithotomie, à Paris 1750.

5) Diſſ. de conſolidatione vulnerum cum deperditione ſubſtantiae, Argentorati 1770. §. II.

6) Traité des Operations p. 531 ſeqq.

7) Mem. de l'Acad. p. 132. in Eſſais etc. p. 203.

tauit, cum quo eandem opinionem simul concepit Ill. LOUIS⁸⁾. Horum itaque virorum argumenta iam lubet expromere. Qui carnis incremento fauent, a lympha ex plagae superficie emanante vasorum oris abscissis singulas moleculas supra se inuicem imponi credunt, et ex his moleculis, vbi ad pristinam vasorum altitudinem sensim se attulerint, iacturam quam illa vascula accepissent reparari, et ita nouam carnem incrementum. Displicuit haec disputandi ratio, (quam et PATER meus tenuerat), Cel. QUESNAY⁹⁾, qui reiecto nouae carnis incremento omne illud naturae beneficium, quod caeteri nimis magnum fecissent, ad vasorum dissectorum extensionem quandam reuocaret. Neque vero haec doctrina Celeberr. FABRE probata fuit, talem vasorum extensionem aequae ac nouae carnis incrementum a vulneribus abesse putanti. Qua in re argumentis vsus est ad euellendam vtramque sententiam fortissimis.

Primum itaque pristinae sententiae argumentum, quod vti antea propositum est indiget, quod plaga talis mox in abscissae carnis altitudinem resurgat, facile infringitur. Non enim plaga vere ad circumpositae carnis super-

8) Memoires de l'Acad. T. XI. Ed. m. p. 187 seqq. p. 203.

9) Traité de la Suppuration p. 257. Hanc sententiam a Cl. FABRE repudiatam, probauit Celeberr. LOUIS. Mem. de l'Acad. T. IV. P. II. p. m. 208.

superficiem attollitur, sed viderur attolli, quia partes circumiectae exhausta tunica adiposa multum deprimuntur. Consumitur autem pinguedo iis, quos plaga vel vlcus male habet dolore, inedia, vigiliis et praesertim suppuratione. Vbi vero sedato dolore ac restituta vitae facultate, vel temperata suppuratione, succi copiosius in tunicae adiposae loculos effunduntur, tunc illa se circa plagam attollit, quae deinde statim depressior apparet. Quapropter etiam obducta cicatrice pristini vulneris vestigia in fouea, quae satis quandoque profunda contingit, se manifestant. In hoc autem partium vulneri circumiectarum marcore summum est atque certissimum futurae sanationis praesidium. Partes enim vicinae, nisi exhausto adipe deprimerentur, et ad vulnus quaquauersum adducerentur, non posset illud coire, quod iis accidit, qui in vulneris curatione lauto victu et iurulento abutuntur. Nam his eleuata circumposita cute, vulnus diducitur, et amplum manet, quod in angustias debebat coire. Quam observationem teneant velim tirones, ea enim non meo ingenio parta, sed ab exercitatisimorum virorum experientia et iudicio profecta est.

Secundum antiquae opinionis argumentum ista tubercula suppeditarunt, quae ab omnibus fere pro nouae carnis tenera sobole habita fuerunt. Illa vero germina carnosae a

peculiari quodam humore lymphatico PATER meus ali existimat, eumque humorem a caetero pure vult seiungi v. §. 351. Ista vero tubercula, vti placet Celeberr. Viris, nullam futurae carnis materiam continent, sed singula pro inflammatis locis sunt habenda. Ab initio itaque vbi inflammatio totum vulnus obfidet, tota plagae superficies aequali rubore suffusa deprehenditur, quod si vero hinc illinc in singulis vasculis inflammatio extinguitur, tunc caetera vascula inflammata magis extolluntur et prae caeteris elatiora adparent. Inde fieri docent Ill. Viri, vt vigente inflammatione efferantur et rubicunda adpareant ista tubercula, languente vero ipsa deprimantur et pallescant, vel si praua contingat suppuration, liuida fiant. Quibus si nostra adiungere licet, in eo praesertim puto hanc tuberculorum naturam manifestam esse, quod lanceolae apice lacescita in sanguinem, vel albam aut liuidam materiam diffuant, quod secus fieri deberet in carnis sobole, quae ex tali materia vix posset procreari et firmior esse deberet. Ex his autem intelligitur non nimis tribuendum esse illis linimentis, quibus ista carnis vegetatio excitari dicitur, vel iam facta sustentari.

In tertio argumento maximum est inueteratae opinionis praesidium, nam priora facile diluuntur. Exempla itaque circumferuntur bene multa de tali naturae artificio, quo integra

tegra membra fuerint restituta eaque non a lippis atque tonsoribus, vel credulis mulierculis peruulgata, sed a peritissimis et grauissimis viris visa et memoriae prodita. Abundat talibus narrationibus HALLERI¹⁰⁾ Physiologia, ex qua multa in suum opus congeffit Cl. EYTING¹¹⁾ et in Cl. FABRE¹²⁾ dissertatione, ista ex tentaminibus Edimburgensibus narratio et alia Cl. QUITOT¹³⁾ repetitur, ita ut in utroque exemplo deceptos fuisse peritissimos viros idoneis argumentis probetur. Taedet istas narrationes transcribere, propriis enim destitutor, uti tota haec dissertatio parum habet ex nostro ingenio, et propria obseruatione. Quod memores esse oportet lectores nostros, ne alienis diuitiis putent nos velle superbire.

Nulla autem est fere corporis humani pars, quae non mirandum illud naturae auxilium experta esse dicatur. Vrethra, glans, nasi apex, oculi membrana, omnes hae partes, secundum illas narrationes, nouo carnis incremento visae sunt restitui ab exercitatissimis Chirurgiae magistris. Quid itaque? Hisne adeo, quae ab HILDANO¹⁴⁾, HOFFMAN-

D 5

NO

10) Elem. Physiol. T. VIII. p. 162.

11) Diss. cit. §. 5. seqq.

12) Mem. p. 147. Essais p. 217. The Medical Essays T. V. p. 36.

13) Mem. de l'Acad. T. XI. p. 152.

14) Obs. Chir. Cent. V. Obs. LXXVI seq. p. 463.

NO¹⁵), RAVATONO¹⁶), certissimis Viris memoriae proditae sunt, fidem denegabimus? Nequaquam. Sed an recte naturam obseruarint et notarint videamus, de qua re valde dubito cum Cl. FABRE et Ill. LOUIS. Nam in istis fere omnibus plagis, quarum caro restitui visa est, tumor simul adfuit atque oedema, in quo facile poterant istae partes se recondere, quae depresso tumore emergentes, increuisse viderentur. Deinde ista incrementa nimis breui tempore facta esse dicuntur. Singulus pilus praescissus viginti dierum spatio vix pollicis longitudinem recuperat; an membra, nasum, linguam, scrotum, vrethram quatuor aut sex dierum spatio increfcere credamus? Denique istae partes omnes, quae restitutae dicuntur, ea natura praedita sunt, vt multum se retrahere possint et in vicinas partes facile abscondere, v. g. lingua, vrethra, glans, penis, scrotum; his adde tumorem, gangraenam, profusionem sanguinis ac puris — tale quid non viderit, qui nesciat quam interdum difficile est, id quod vitiatum est ab integro dignoscere, et suos cuique parti terminos definire.

Ex hac autem retractione, quam omnibus fere partibus vexatis contingere certum est, iterum intelligitur, vulnus haud posse, vti Celler.

15) v. Eiusd. Diff. de sphacelo feliciter curato in Opp. T. II. p. 527. Edit. Geneu.

16) Chirurgien d'Armée p. 562.

berr. *QUESNAI*¹⁷⁾ videtur, vasorum quadam extensione impleri. Ita enim fieri existimat *Celeberr. Vir*, ut ista tubercula carnosae, quae ex vasculis emergunt, paullo altius ascendant et vulneris cavitatem repleant. Haec autem explicatio etsi facilitate commendetur et *Cl. EYTINGIO*¹⁸⁾ prae caeteris placeat, vix tamen poterit ad hanc causam accommodari. Ut enim omittam esse fibris nostris longitudinis modum certum a natura definitum, ultra quem extendi in adulto homine haud facile possint, oculorum iudicio; si quis eo recte uti velit, certum est, vulneris quod est cum carnis iactura, superficiem non attoli, sed deprimi. Neque id propter sanationem aliter fieri potest, cuius maximum auxilium petitur a cute quaquaversum adducenda.

Gravis etiam dubitandi ratio inde petitur, quod ii ipsi, qui carnes refici putent, sensu destitui novam carnem confiteantur. Cuius generis narrationem memoriae proditam legimus a *FR. HOFFMANNO*¹⁹⁾, qui in gravissimo pedis ulcere carnes ipsas, quae sphacelo exesae fuerant, naturae et artis beneficio restitutas vidit, ut cavitatis manus excipiendae apta, nova carne impleretur. Ista vero caro, quod addit *HOFFMANNUS*, omni sensu destituebatur. An vero carnem dicamus, quae
ad

17) L. c.

18) *Diss. cit.* §. 11.

19) *Diss. de sphacelo* §. 30.

ad omnem sensum hebescat? Caro est vasorum et neruorum complexus, et si neruos tactui et motui inseruientes consumptos fuisse concedamus, cur isti nerui non iterum instaurantur? vel si in hoc nimis multum a naturae artificio nos videamur postulare, an vascula vel minima poterunt sine neruis effingi, et isti nerui, quibus ademptis neque vasa neque carnes possunt cogitari, cur sensu non praediti fuerunt? An ideo in rude tali, ac indigesta mole, quae neruis ac sensu destituitur, vasorum et musculorum fabricam agnoscamus? qua ratione, quibus naturae legibus vasa talia vel muscoli tales sine neruorum auxilio mouentur? Deinde carnis iactura in illa narratione admodum mihi dubia esse videtur. Nam ipse *HOFFMANNUS* refert nihil de vitiata carne ademptum fuisse, et valde parum sua sponte secessisse. Accedit, quod vlcus non a prauo vulnere, sed ab interna causa natum fuerat, a qua re magnum vlcera discrimen accipiunt. Nondum enim de sphacelo, qui ab interna causa proficiscitur satis constat, vtrum ipsae carnes eo exedantur, an mali vis in tela celluloosa contineatur. Sunt adeo permulti, qui alienari quidem, contrahi, rugari, prauo humore suffundi carnes et tandem emori a tali sphacelo existiment, eas vero consumi et diffuere valde dubitent. Quod reliquum est, si caro sphacelosa integritatem ac vitam recuperasse dicatur, hoc ita accipien-

accipiendum esse puto, ut non nouam carnem, nescio quo artificio increuisse, sed hanc quae vitiata erat, et fere emortua vires ac vitam recepisse existimemus. Sic plantae, ubi coeli aestu deflagrarunt, et succis exhauritae iam marcescunt, pluuiarum liberalitate ita reficiuntur, ut reuiuiscere quasi videantur.

Quae mihi de plantis commemoranti in mentem venit illud quorundam argumentum, quod ab his petitur. Accurate vero tenendum est, plantam eum ipsum ramulum, qui abscissus fuerat nunquam reddere, etsi haud dissimulari oportet in herbarum et graminum segete, hoc vere ita euenire, quod etiam pilis contingere nouimus. In graminibus autem et pilis alia ratio est. Nam haec genera ita sunt a natura efficta, ut omnis nutritionis vis in longitudinis incremento versetur. In iis autem plantis, quibus a latere furculi adherent, si medius truncus refecatur, id quod truncatum est, non iterum attollitur, sed nutritionis materia dum ab hac parte ad caeteras reuocatur, furculi a latere collocati maiora incrementa capiunt, vel noui a latere increscunt, id quod etiam accidit, si ramus caeditur, nam ille ipse ramus non denuo emergit, sed alius in vicino loco expellitur. Quod vero ad istas plagas attinet, quas Celeberr. DU HAMEL²⁰), arborum truncis atque corticibus

20) Memoires de l'Academie des Sciences n. 1746.

bus inflixit, in iis an noua vasorum compages procreata fuerit, ex obseruationibus Viri Celeberr. nondum confectum esse arbitror. Nouam materiam increuisse et plagam impleuisse haud negauerim, quod et vulneribus humani corporis contingere concedimus, sed ablatorum canaliculorum iacturam fuisse nouo quodam naturae artificio reparatam vehementer dubitamus.

At animalibus bene multis et iis praesertim, qui sunt ex insectorum genere, variae partes, quas vel naturae quodam iussu exuerint, vel accepto vulnere aut impetu perdidierint, iterum increfcunt. Multa huius generis exempla commemorauit Perill. v. HALLER²¹⁾, quae iam nolo transcribere, id vnum repetens cancris integra membra diffracta, crura et chelas instaurari, idque a Celeberr. REAUMUR²²⁾ tentatum ac obseruatum fuisse. Cuius exempli etsi facilis esse videtur ad hanc causam accommodatio, aequae tamen illud non poterit ad humanum genus transferri, ac caeterae animalium a nostro genere remotiorum proprietates ac vicissitudines. Atqui animalibus iis, quae propius ad humanum genus ascendunt, in simili casu simile naturae beneficium contingit nullum. Ea vero genera, quae humano valde sunt inferiora et propter id ipsum ab eo remotiora, cum ad plantarum

21) Elem. Physiol. T. VIII. p. 160 seqq.

22) Mem. de l'Acad. des Sciences a. 1712. p. 225.

tarum genus iam descendere gestiant, quasdam iam habere videntur proprietates cum plantis communes. Et hac mutua ac alterna proprietatum inter animalia et plantas, communione (quae et in subiectis vtriusque familiae generibus animaduertitur) maxime cernitur ille naturae ordo, illaque series, qua fit vt animalia in plantarum genus desinant, nam inter vtrumque regnum medii interiecti sunt polypi, qui versus vtrumque vergunt, vt possint et ad plantas et ad animalia referri.

Sed vt iam redeat oratio vnde digressa est, etsi carnem, quo nomine illum vasorum nervorum et membranularum complexum intelligo, in vulneribus nullam instaurari existimem, vulneris tamen cauum materia qualicumque impleri, certum esse arbitror. Quod naturae beneficium iis praecipue plagis contingere puto, in quibus interna et media caro, integra manente externa, ablata fuerit. Etsi enim tale vulnus, si recens est et a corpore peregrino v. g. globulo plumbeo liberum, adductis fasciis et compressionis in vniuersum auxilio, sine interiecta matetia coire possit, vix tamen illud poterit sanari, si peregrinum corpus in eo diu quiescens illud diduxerit, vel si natura sua illud valde amplum sit, nisi materia qualiscunque crassa et glutinosa quaquauersum intrinsecus effluat. Ex quo intelligitur, cur sinus diuturni oriantur, si talis vulneris orae internae siccae nimis perhibentur,

hibentur, et cur in serosi humoris modico prouentu, maximum sit curationis praesidium. Quae cum ita sint, nimis mihi suam opinionem ornasse videtur Celeberr. FABRE, qui omne ablatae carnis supplementum negaret.

Et ab his, quae iam dixi, petitur vulnorum curatio. Aliena sunt, quae carnis, ut aiunt, prouentui fauent. Simplicis vulneris sanatio fere omnis in fasciarum et linteorum carptorum ministerio continetur, reliqua naturae committenda. Caua vulnera paullo humidiora esse oportet, eaque humiditas fovenda est et auxiliis idoneis prouocanda.

Mos vulnera grauiora suendi, de qua re fusius PATER MEUS exposuit, post Celeberr. DE PIBRAC^{22*)}, Patroni Venerandi, auctoritatem iam fere euiliuit. Ne ea quidem abdominis vulnera grauiissima, ex quibus intestini, vel omenti pars propendet γαστροσαφία indigent. Neque labium leporinum acus auxilium exigit, quod aliquo abhinc iam tum tempore nostri Chirurghi, emplastri glutinantis et fasciae beneficio sanare didicerant, antequam Ill. LOUIS prodiret dissertatio. Quod ad reliquam curationem spectat, si quid in hoc genere peccatum est a PARENTE meo, id me doctiores et exercitatiores magistri emendabunt.

22*) Sur l'abus des Sutures Mem. de l'Acad. T. IX. p. I seqq.

II.

⊙ P O M B O Σ.

Nulla corpori humano vel intrinsecus, vel extrinsecus aegritudo accidit, cui non gestiat mederi naturae vis, quae sola quandoque grauissimas noxas reparare solet, vel, si huic operi non sufficiat, in auxiliorum, quae ars et prudentia homini suppeditant, societatem venire perhibetur. Quod naturae beneficium in continenda profusione sanguinis, etsi manifestum videatur, tantum illud tamen haud oportet ornare, ut illo solo naturae auxilio, omnem sanguinis effluxum in plagis grauioribus retineri existimemus. Quod si itaque magnorum quandoque vasorum vulnera sine sanguinis prouentu esse videamus, id naturae peruersitati magis, quam eius cuiusdam benignitati vel facultati tribuendum esse putemus. Omnibus notam esse arbitror, illam I. F. TSCHÉPPII²³⁾ narrationem de femoris amputatione non cruenta, cuius etiam generis exemplum ab Anglo Chirurgo nuper memoriae proditum legimus²⁴⁾. Quas mihi narrationes intuenti, et cum aliis huius generis comparanti sanguis visus est in tali casu,
non

23) Diss. de amputatione non cruenta, Halae 1742. v. in HALLERI Collect. T. V.

24) v. the Medical Inquiries Vol. II. N. X. cf. HILDANI Obs. Cent. IV. Obs. XCII, SALVAGES Nosol. T. II. p. 624.

non quadam naturae potestate fuisse retentus, sed eius inertia potius et membri vexati hebetudine retardatus. Nam in iis exemplis paene omnibus, membrum, quod sanguinem non funderet, gangraena emortuum fuit. Quae si diu in membro aliquo toleratur, partes molles non exteriores solum exedit, sed ipsam arteriarum tunicam musculosam, vel penitus consumit, vel ita certe labefactat, ut ad motum illae se haud erigere possint. Ex quo fit, ut sanguis quiescat, et amissa tandem fluida parte, consistat et coeat. Incidit etiam aliquando, ut arteriae, nata in iis callosa vel ossea duritie, fluido pellendo ineptae fiant et membrum gangraenae opportunum reddatur, quod recte animaduersum est a Perill. SWITENIO²⁵⁾. Inde fieri solet, ut illa vasa, quae vulnerata sanguinem nullum fundant, coacto sanguine plena reperiuntur, quod patet in illa narratione, quam ex Philos. Transact.²⁶⁾ repetiit G. V. SWITEN. Vbi autem sano ac integro membro tale quid contingit, cuius generis exempla in Philos. Transact. et in Commentariis Acad. Chir. Parisinae passim exstant, haud mihi deesse videntur idoneae causae, quae possint in contuso vulnere (nam in caeteris nunquam accidit) sanguinis effluxum impedire. Memini me legere, viro cui molae impetus brachium
integrum

25) T. I. Comment. ad §. 144.

26) N. CCCLXIX. p. 336.

integrum abstulerat, nullum sanguinem provenisse. Tali autem ictu quis non intelligit, vasa praeter modum contundi, omnemque eorum motum subito intercipi posse. Multum etiam confert terror, cuius vi et sanguinem reprimi, et solidas partes constringi, nemo dubitabit.

Attamen est aliqua naturae vis in sanguine continendo, quae qualis sit iam perquirendum. Plerique eam nuper in illo sanguinis coagulo posuerunt, quod partim quiete sanguinis, partim vasorum contractione natum, arteriae laesae ostium obturare, et viam sanguini praeccludere existimatur. Quam opinionem etsi a PETITI²⁷⁾ foecundissimo ingenio plerumque repetere solent, a GALENI animadversione quadam profectam esse putamus. GALENUS²⁸⁾ enim aperte de hac re disserit, cuius riuulis PETITUM hortulos suos irrigasse a vero propius est. Confirmavit nuper hanc doctrinam et ornatus proposuit Celeberr. POUTEAU²⁹⁾. Neque alii defuerunt, qui coagulum illud, quod *ῥεομβον* dicunt, suis experimentis confirmarent. Cl. FAGET³⁰⁾ throm-

E 2 bum

27) v. Memoires de l'Acad. des Sciences 1731. p. 123.

28) Method. med. L. V. C. III. Cf. AVICENNA L. IV. Fer. IV. T. II.

29) Melanges de Chirurgie p. 299.

30) In the Philosophical Transact. Vol. XLVIII. p. 560.

bum vnum quatuor pollices, et alterum, vnum cum dimidio longum vidit. IO. FOUBERT³¹⁾ in aneurismate pistillum quasi a sanguine coacto laesae arteriae impressum animaduertit, quae obseruatio nuper a Cl. ARNAUD³²⁾ repetita satis accurate docet, *Σφοδρον* non morte fieri, vti bene multis visum est, qui istud naturae beneficium negarent.

Monendi tamen sunt hoc loco tirones, illa in vniuersum, vel lymphae, vel sanguinis coagula, quae toties in funeribus conspiciuntur, in sanguine viui hominis non haerere, sed plerumque frigore post mortem nasci et quiete, de qua re multum disputatum³³⁾ fuit inter superioris saeculi dissectores. Veniam dabunt lectores, vt tribus verbis attingam illum locum de crusta inflammatoria, qui supra fuit a nobis tractatus. Incidi enim nuper in P. SALII DIVERSI³⁴⁾ locum, qui, vti polypis atque

31) Memoires de l'Acad. de Chirurgie T. III. P. III. p. m. 206 seq.

32) v. Eius Memoires de Chirurgie 4. à Londres P. I. p. 190. Alia de hoc thrombo testimonia extant in MORGAGNI Aduers. T. II. p. 81. et in HALLERI Opusc. Pathol. Obs. XIX.

33) Primus THEOD. KERKRING mediocris nuper dissector contra coagula sanguinis in vniuersum scripsit v. Eius Spicil. Anat. Obs. XXXVII. Deinde ANDR. PASTA illo longe doctior in Epp. duab. de motu sanguinis post mortem et de cordis polypo in dubium vocato, Bergam. 1737. sanguinem coire negauit.

34) De affectibus particularibus C. IV.

que coagulis parum tribueret, illam etiam sanguinis crustam non coagulo, sed cruditate fieri apertis verbis ostendit. *Videmus inquit, non solum utramque bilem cum sanguine de vena eiectam concreescere, sed etiam pituitam ipsam, quae adeo in sanguinis superficie nonnunquam concreescit, ut vix gladio incidi queat, nisi quae haec et limosa pars sanguinis et admisceatur, licet concreescat sanguis, non tamen ita cito concreescit, nec ita dure coalescit, sicuti ei contingit, quando copiose ei admisti sunt humores melancholici et pituitosi.* — His SALII verbis, quae (nam huc non pertinent) referant velim lectores ad illam disputationem de crusta inflammatoria, quis non videt Ill. HAENII et nostram sententiam totam fere contineri?

Sed ut redeat oratio, unde digressa erat, etsi polyposa ista coagula, in quibus neglecta caetera funerum exploratione, mortis sibi causam certissimam olim reperire videbantur nuperi dissectores, morte plerumque fieri concedamus, tamen vel ideo thrombus non poterat a Cel. QUESNAI³⁵⁾ et a BENI. GOOCH³⁶⁾ indubium vocari. Quodsi enim largiar adeo, in praescissis membris, in quibus toties illi thrombi visi sunt, sanguinem non beneficio naturae retardatum, sed frigore post mortem

E 3

demum

35) v. Memoires de l'Acad. de Chirurgie T. I. P. I. p. m. 187 seq.

36) Cases and practical Remarks in Surgery 1758. p. 139.

demum fuisse coactum, qua tamen ratione, diu ante mortem sanati aneurismatis, thrombus et illud quasi pistillum angustiae vulneris infixum a morte statim nascatur, animo concipere non possum. Tale enim arteriae vulnus in homine longe post curationem defuncto accurate contemplanti, apparebit illud non uti caetera vulnera solent, glutinatum esse, sed coacto sanguine obturatum. Hic itaque thrombus si morte demum est factus, quomodo arteriae vulnus antea poterat esse sanatum, vel si illud longe ante mortem sanatum erat, quomodo thrombus morte factus esse poterit existimari? Certissimum itaque thrombi testimonium ab aneurismate petitur.

Neque pretermittenda est hoc loco singularis HALLERI³⁷⁾ observatio, qui in animalibus vulneratis, nubeculam sanguinis in limine vasorum praescissorum animaduertit, qua exorta sanguis sponte quiesceret.

Sunt autem multae res quarum auxilio *Σκομβος* effingi possit. Primum enim magna vis est, retractionis carniū atque vasorum, quae et in membris praescissis et in omni vulnere manifesta est³⁸⁾. Deinde recte animad-

37) Memoires sur le Mouvement du Sang, et sur les effets de la Saignée p. 116. 117. 302.

38) V. HEISTERI Diss. de vulnere arteriae cruralis feliciter curato 1741. §. 25. Monendi autem sunt tirones, id non propter fibras secundum longitudinem

animaduersum est a Celeberr. POUTEAU³⁹⁾ pinguedinem post membrorum chirurgiam circa arterias intumescere, qua multum illas comprimi a vero propius arbitror. Vix tandem mihi possum imperare, quin credam sanguinem vulneris illa contractione et retractione tantillum repelli, et antrosum exire prohibitum, retrorsum vrgeri. Quemadmodum enim venarum sanguis, uti alio loco expositum est, inuerso interdum itinere progredi gestit, ita pariter eum quem arteriae vehunt, regredi posse persuasum habemus⁴⁰⁾. Neque vero magnam sanguinis vim in arteria praescissa retroagi puto, neque istum sanguinis regressum multum valere arbitror aduersus fluidi appellentis impetum. Id tantum huic qualicumque potestati tribuendum sentio, ut sanguis aliquantum retardetur, et eius in-

E 4

primis

gitudinem progredientes contingere, quod HEISTERO videtur. Tales enim fibrae, quales in splendido ac mediocri BIDLOI opere depictas videmus, arteriis ipsis non contigerunt. Miror itaque SWITENIUM olim eas adduxisse T. I. ad §. 159.

39) L. c.

40) Sanguinis in minoribus arteriis regressum LOEWENHOEKII olim, et accuratius nuper HALLERI obseruationes docuerunt. v. Eiusd. Mem. sur le mouvement du sang Exp. 69 seq. In hoc sanguinis regressu aliquod ad soluendam inflammationem auxilium inesse putat Cel. SAUVAGES, de inflamm. §. 101. et SWITEN v. T. I. ad §. 386.

primis crassior pars in limine vasis habeatur atque consistat.

Iis denique ipsis, qui sanguinis tale coagulum ad mortis effecta referre malunt, non desunt idoneae rationes, propter quas hoc naturae beneficium agnoscant. Nam vasa, quae vulnus passa fuerunt, diuturno et graui dolore et sanguinis impetu ita tandem labefactantur et franguntur, vt quoniam ad motum hebescunt, cum vasis mortui hominis per tempus aliquod possint comparari, ita vt thrombus, quod ipsi volunt, frigore factus esse videatur.

Ille autem *Thrombus* in aneurismate, ab eo potius sanguine fieri existimandus est, qui iam emissus est artisque auxilio per ipsam vulneris angustiam retroagitur, quam ab eo, qui ex hac erumpere gestiat. Quapropter in eo praesertim chirurgi cura collocata esse debet, vt sanguinem iam effusum quaquaversum ad ipsum arteriae vulnus adducat modica manuum compressione, eumque sic in pristinam sedem repulsum, fasciis idoneis contineat. Nam spes est hunc ipsum sanguinem, qui crassior iam factus multum de calore suo amisit, hac ratione retroactum, circa vulneris ostium intrinsecus retardatum iri, et foras iterum exire gestientem, propterea quod parum fluidus est, et extrinsecus cohibetur, in ipso vulneris hiatu esse commoraturum.

III.

A G A R I C V S.

His iam de naturae beneficio expositis ad artis auxilia progredior, quae post PATRIS mei librum inclaruerunt, istique tractationi de profusione sanguinis §. 403 seq. addenda videbantur. Duplex autem horum in vniuersum est genus, quibus sanguis continetur. Nam vel a medicamentis, vel a manu chirurgi auxilium petitur. In primo genere iam me contineo, alterum alio loco commemoraturus, vbi vel de aneurismatis curatione, vel de membrorum praescindendorum chirurgia dicam.

In his, quae ad sanguinem valent, plurimum omni tempore laudatum est *lycoperdon* *) (*bovisst*), quod miror illo loco a PATRE

E 5 meo

- 41) Non primus, vt vulgo creditur, lycoperdon ad chirurgiae vsum accommodauit IO. BAUHINUS in Hist. gen. plant. C. LXXV. p. 848. sed ante eum CAROLUS D'ECLOUSE (Cluhus) celeberrimus saeculo XVI. Botanicus, illud ad sanguinem commendauit, et in Germania commune esse auxilium narrauit v. Hist. Fungorum p. 286 sp. 3. Neque vllum fere illius aetatis scriptorem legas, qui non illud valde praedicarit. Ita IO. V. HORNE, in Microtechne Ed. PAULI. p. 485. FELIX WURZEN *Practica der Wundarzneykunst* 1612. p. 101. et ANTON. NUCK in Experiment. Chirurg. Exp. XXIX. p. 99. et multi alii, qui deligationi hoc auxilium adeo anteferendum esse dicerent, quam Cel. PARE' illo

meo praetermissum esse. Nam alcohol, quod caeteris ille antepofuit, etsi ad reprimendum sanguinem satis est vehemens, tamen verendum est, ne vulnus eo alienetur. Nullo alio nuper auxilio utebatur Celeber. KALTSCHMIDT⁴²⁾, qui deligationem vasorum frequentius administraret. Profundis vulneribus,

illo fere tempore restituere coepisset. Hoc inprimis saeculo id Gallis etiam coepit probari, qui antea vel ignorarent eius vim vel repudiarent. Eo prae caeteris nuper utebatur Cel. LE CAT, vid. Recueil periodique d'observations de Medecine & de Chirurgie T. II. 1754. p. 265. T. III. 1755. p. 232. Quam vehemens illud sit ad reprimendum sanguinem, illa praesertim Ven. MORANDI narratio testatur, nam ille refert hoc solo auxilio sanguinem equis ex crurali arteria impetuosius fluentem coerceri a D. DE LA FOSSE v. Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. m. 171. Amputationibus adhibuit IAC. PARSONS, v. Philosophical Transact. V. XLIX. P. I. p. 38. Eandem lycoperdi virtutem expertus est TH. SCHWENKE, Vir nuper Celeberrimus vid. Verhandelingen van de Matschappy der Wetenschappen te Haarlem, II. Deel 238. Peculiari dissertatione hoc medicamentum commendavit IO. HERMENT: Vtrum in arteriarum vulneribus tutum haemorrhagiae sistendae auxilium fungus maximus pulverifatus rotundus IO. BAUHINI, Parisiis 1752. in Collect. HALLERI T. V. p. 182.

- 42) v. Eius Diss. de methodo haemorrhagias vulnorum sistendi optima 1756. Legi etiam meretur IO. PAUL. KOCH Diss. de spiritu vini rectificatissimo medicamento ad haemorrhagias sistendas optimo.

bus, quae cum angusto hiatu longos meatus habent, expedit interdum alcohol immittere, nam agarico ad haec via non patet. Namque haud oportet tale vulnus diducere, nisi aliae id rationes exigere videantur. Neque autem vel fungus BAUHINI, vel agaricus, peculiari quadam in reprimendo sanguine facultate praeditus est, quae fungis paene omnibus communis esse perhibetur. Nam cauer-nulis conflati sunt ad sugendum et excipien-dum sanguinem idoneis. Inde ab antiquissi-mis iamtum temporibus spongiae communis, magnus usus fuit in sanguinis profusione, eamque CELSUS ⁴³⁾ usurpavit. Communi illa spongia, qua ad lauandos infantes praesertim uti solent, sanguinem cum vitae discrimine iam erumpentem, qui nullo alio auxilio coerceri posset, continuit nuper Expe-rient. MUZELIUS ⁴⁴⁾. Omnes fere fungos ad hunc usum valere certissima obseruatione Cl. FR. GRANDCLAS ⁴⁵⁾ cognouit. Neque etiam vel lycoperdon vel agaricum constrin-gendi vim habere existimo, etsi multis ita vi-sum est, propterea quod arboribus nu-triantur

43) L. V. C. XXVI.

44) D. FR. HERRMANN MUZEL. *med. und chir. Vabruehmungen. Erste Sammlung, Berlin 1754. p. 31.* IAC. FORD fungo alii, qui in dolis et mu-ris vinariarum crescit, eandem vim inesse vidit, et in amputationibus adeo agarico non inferiorem eum reperit Philosophical Transact. V. XLIX. p. 93.

45) Vid. HERMENT. l. c. §. 4.

triantur illi fungi, quae succis adstringentibus plenissimae sint. Hanc agarici virtutem iam dudum in dubium vocavit Venerandus MORAND ⁴⁶⁾, et nuper Celebert. LE CAT ⁴⁷⁾. Etsi enim Cl. FAGET ⁴⁸⁾ ab agarici vsu arterias contractas viderit, id tamen a naturae magis beneficio illo, quam ab agarici quadam facultate repetendum esse arbitror. Posset interim illa ROCHARDI ⁴⁹⁾ observatio hanc adstringendi virtutem agarico vindicare, qui alui fluxum eo vidit retentum.

Quae cum ita sint, miranda sane est agarici singularis felicitas, qui brevi tempore coepit bene multis probari et caeteris eiusdem generis auxiliis anteferri, sui que inuentoris non famam solum ciuibus et posteritati commendavit, sed gratiam adeo regis potentissimi et annum regiae liberalitatis documentum eidem comparavit.

Primus ad Chirurgiae vsu agaricum accommodavit FR. BROSSARD, Chirurgus Galus, huiusque rei primum mentio facta est in diario eruditorum Gallico ⁵⁰⁾. Ipse vero novam medendi rationem a. 1750. Academiae Chirurgorum Parisinae proposuit, quam paullo ante et in radice arteriae vulnere et in crure praescindendo feliciter tentasset.

Non

46) Memoires de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 177.

47) Recueil periodique T. III. 1755. p. 232.

48) Philosophical Transact. Vol. XLVII. p. 560.

49) Recueil periodique etc. T. III. p. 37.

50) Journal des Sçavans A. 1751. M. Aout p. 536.

Non defuerunt, qui eundem fungum et a Finnis⁵¹⁾ olim vsurpatum et a veteribus chirurgis, in his praesertim a FEL. WURZEN commendatum esse ostenderent. Chirurgus quidam Londinensis MASON⁵²⁾ peculiari id libello ostendit, WURZENIUM non recte intelligens, qui *lycoperdon*, non *agaricum* indicarit. Neque etiam, uti MORANDO⁵³⁾ videtur, Cel. DUVERNEY agaricum proposuit, illum fungum nominans, qui dicitur *la meche d'Allemagne*. Hoc enim nomine non agaricus, sed lycoperdon indicatur, quod quia in Germania maxime vsurparetur, a Germania nomen accepit.

Adhibetur autem agaricus secundum BROSSARDI⁵⁴⁾ legem ratione tali. Is praesertim, qui vetustis quercubus adhaeret, praefertendus et Mense Augusto et Septembre colligendus est⁵⁵⁾. Cautè asservandus, neque aeri exponendus, neque charta inuoluendus, sed

51) vid. Ill. VOGELII Hist. Mat. med. p. 300.

52) vid. MORAND Mem. T. III. P. I. p. m. 5.

53) L. c. p. 7.

54) Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 169. 170.

55) MORAND l. c. Sed WILL. WATSON in Philos. Transact. animaduertit, eligi potius debere fungum quercinum haematodem Vol. XLVIII. P. II. p. 811. Docuit etiam Cl. FOUBERT, eum agaricum, qui hederæ insideat, eandem facultatem habere. Mem. de l'Acad. de Chirurg. T. II. P. III. p. m. 257.

sed potius in idoneo vitro reponendus quali ad pulveres vtuntur Pharmacopoei⁵⁶). Cortice exteriori seiuncto fungosa caro, quam a tubulosa compage deglubere oportet, malleo tundenda est, vt molliatur et diductis vesiculis sanguini sugendo aptior fiat. Qui ita praeparatus et tractatus in frustula discerpitur, quorum duo vel tria supra se inuicem collocata praescissae arteriae obiiciuntur, ita vt laevis agarici facies versus plagam sit conuersa. Sunt, qui puluere eius totum vulnus conspergant, quam rationem recte, vt mihi quidem videtur, reprehendit HENR. PARKER⁵⁷). Eam enim etsi multis videam probari, vel ego non laudauerim, quia vulnus alienari et curationem protrahi metuendum est. Machinam singularem agarici paullo fortius apprimendi causa excogitauit. Celeberr. ACKRELL⁵⁸), quam nunquam ego vidi.

Commendatorem noua medicina summum nacta est, F. S. MORANDUM⁵⁹), qui primus peculiari dissertatione eam laudaret, et paullo post istas agarici laudes repeteret atque confirmaret. Neque vero caeteris auxiliis

56) vid. MORAND Memoires T. III. P. I. p. 4.

57) The ligature preferable to Agaric, London 1755. ab initio. Eandem quoque rationem laudat DE HAEN Rat. Med. T. V. C. VI. p. 205.

58) *Abhandlungen der Schwedischen Academie XVI. Band 1755. III. Abtheilung No. 6.*

59) vid. Eiusd. Diss. in Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 159 seqq.

liis eum adeo anteponendum putavit, sed chirurgum ad deligationis artificium paratum esse vult exercitatumque, caeteris tandem medicamentis etiam locum suum esse ostendit. In aneurismatis chirurgia agarici virtutem insignem expertus est Ill. Vir. Etenim vitalis motus arteriae, cui agaricum superhabuisset, post viginti quatuor horas restitutus fuit, qui in duobus aliis aegris, qui deligationis chirurgiam passi fuerant, post decimum quintum demum diem emergeret. Eandem vim huius auxilii in aneurismate admiratus est meus nuper in hoc genere Praeceptor **REN. MOREAU** ⁶⁰⁾, qui ad deligationem hodie reversus est, quam in brachii aneurismate bis ei feliciter vidi successisse, et **FR. LE RICHE** ⁶¹⁾, **PATRIS** mei quondam amicus et studiorum in Gallia sodalis, in eodem morbo illud valere grauis auctor est. Ita pariter etiam **Celeberr. Archiater ANT. DE HAEN** ⁶²⁾, folius agarici beneficio aneurisma sanatum vidit, et alii viderunt.

Non autem in aneurismatis curatione solum, vel in leuioribus plagis hanc facultatem suam manifestavit agaricus, sed in membris adeo praescindendis sine deligatione sanguinem cohibuit. Laudatur imprimis a **Cl. FAGET**

60) **MORAND** T. III. P. I. p. I.

61) **MORAND** *ibid.* p. 3.

62) *Rat. Med.* T. IV. C. II. §. 10.

GET⁶³⁾, qui in hac chirurgia insignem noui auxilii facultatem expertus est. Idem testantur IOSEPHI WARNERI⁶⁴⁾ narrationes, qui et dolorem leuiorem et febrem placatiorem esse notauit, si agaricus adhibeatur, quam si deligata fuerit arteria. Deinde GUIL. WATSON⁶⁵⁾ et GUIL. SCHLOSSER⁶⁶⁾ maximas arterias hoc fungo contineri testantur, eo solo in amputatione membrorum vsi.

Nec defuerunt, qui vel improbarent, hoc auxilium, vel in eo laudando moderatiores essent. Deligationem arteriarum agarico praefendam esse peculiari libro ostendit HENR. PARKER⁷⁶⁾. Eadem nuper sententia fuit Cl. LE CAT⁶⁸⁾. Deinde Cl. ACKRELL⁶⁹⁾, qui olim magni eum faceret, ab eius vsu recessit, nullam peculiarem virtutem in eo cognoscens, qua non communis quisque fungus praeditus esset. In maioribus praesertim arteriis obturandis, ne nimiam chirur-

63) Philosophical Transact. V. XLVII. p. 560. cf. Recueil periodique T. IV. p. 63.

64) vid. Cases in Surgery 1754. p. 133. cf. Transact. V. XLVIII. P. II. p. 813.

65) Philos. Transact. V. XLIX. P. I. p. 28.

66) Recueil periodique T. III. p. 147.

67) vid. liber superius laudatus.

68) Recueil periodique T. III. p. 232.

69) Tal an Notwändigkeiten etc. p. 9. Spongiam marinam praefert. In magna sanguinis profusione deligationem magis commendat. Cf. Eiusd. Chirurkiske Handeller p. 331.

chirurgi in hoc solo auxilio fiduciam collocent, hortatur. Id expertus est BENI. GOOCH ⁷⁰⁾, Londinensis chirurgus, qui profusionem sanguinis post tibiam praescissam vidit, quae nullo modo ab agarico coercebatur. Eandem huius auxilii imbecillitatem in femoris chirurgia expertus est Celeberr. SHARP ⁷¹⁾. Neque in popliteae vel cruralis arteriae aneurismate satis potens videtur BILGUERO ⁷²⁾, qui in brachio satis eum valere cognovit.

Ego vero, qui agarico nullam facultatem inesse puto, qua cetera fungorum genera destituantur, agaricum et lycoperdon, vel quemlibet fungum, et spiritibus fortioribus et acidis mineralibus anteferendum puto, quia his rodi vulnus et alienari iustus metus esse videtur. In aneurismatis chirurgia cur tale auxilium magis commodum sit, quam arteriae deligatio, sequenti capite ostendetur.

70) Cases and practical Remarks in Surgery 1758. p. 131.

71) Philosophical Transact. Vol. XLVIII. p. 388.

72) *Wundarzneykunst im Felde* p. 241.

SUPPLEMENTUM III.

ANEVRISMA SPVRIVM.

Quae vel de natura huius morbi animadversa, vel in eius curatione immutata fuerunt post PATRIS meae aetatem, ea etsi neque multa, neque magna videantur, digna certe sunt, quae commemorentur.

Et ut de natura mali primum dicam, duplex genus faciendum putavit Celeberr. FOUBERT¹⁾. Nam recens aneurisma (*aneurisme primitif*) ab eo quod post aliquot tempus insequitur (*consecutif*) seiungit. Recens aneurisma oritur, si sanguis statim post acceptam plagam ex arteria in cellulas circumiectas effusus, tumorem mollem ac latum extollit. Hoc genus facile dignoscitur. Alterum vero, quod post aliquod tempus demum emergit, cum vero aneurismate facile potest commisceri. Tumor enim a parvis initiis sensim increfcit, et quemadmodum in vero aneurismate obseruatum est, digito facile deprimitur. Nec sanguis, uti in spurio semper contingere existimatum est, pellucet, nec membri vexati color emissio sanguine alienatur.

1) Sur différentes espèces d'Aneurisme faux. v. Mémoires de l'Acad. Roy. de Chir. T. II. P. III. p. m. 251.

tur. Accidit autem hoc genus, si laesa arteria, sanguis haud protinus cum impetu erumpit, quod vel propter vulneris angustiam, vel propter fasciarum vim, vel propter vitalis humoris pigritiam quandam fieri existimo. Sanguis autem ex vulneris angustia erumpere gestiens, et propter lentorem, et propter fasciae vim, in ipso vulneris ostio conquiescit, ac *Σφουβον* efficiendo illud obturat, dum interim externis inuolucris et bicipitis musculi vaginae cicatrix obducitur. Quod si itaque et fasciae per aliquod tempus membro superhabentur, et illud continetur, tunc *Σφουβος* arteriae impressus sanguinem cohibet et vulnus claudit. Quod si vero solutis fasciis membrum vel perfricatur, vel exercetur, lacerato ac diducto vulnere sanguis prorumpit et in cellulas circumiectas diuagatur. Ita iam factum est *consecutiuum* aneurisma, quod *primitiuo* interdum periculosius esse solet.

Quam mihi FOUBERTI partitionem comparanti, sub vtriusque nominis diuersitate haud noua rei diuersitas latere videtur. Nam et PATER meus et caeteri omnes recens malum, quod protinus post ictum se exerit, ab inueterato seiunxerunt. Quae cum ita sint obseruationi potius, quam diuisioni haec mihi res idonea est visa. Poterat itaque Cl. FOUBERT, quod ab eo animaduersum esset in ista disertatione notare; accidere quidem,

vt vulnus arteriæ inflictum per aliquod tempus quiescat, illudque si non dignoscatur et brachium fasciis solvatur, diduci, et inde aneurisma inopinatum oriri, quod quia inueteratum est compressione sanari nequeat. Novas vero huic generi formas subiicere non oportebat. Morbi enim quorum eadem est curatio, cur nomine seiungantur non intelligo. At — recens aneurisma compressione, hoc chirurgia efficaciore superari dixit. Idem vero de recente ac inueterato aneurismate iam dudum praeceptum legimus. Qua propter novam de origine morbi observationem eamque utilissimam ac certissimam in ista FOUBERTI experientia video, non inauditam formarum, quae antea in vno genere latuerint, separationem atque notationem.

Eandem rem alia fere ratione ad Chirurgiae doctrinam accommodavit WILLIAM HUNTER²⁾, vsus forte FOUBERTI animadversione. Ille enim aneurisma *quiescens* et *erumpens* distingui voluit. Id quod quiescit ad illud genus pertinet, cuius et naturam et originem Cl. FOUBERT descripsit, *consecutus* ab eo causam repetens. Hoc vero quod erumpit omnibus notum est; quae mihi divisio illa longe aptior videtur. Nam et a vera rei diuersitate petita est, et ab eadem magna auxiliorum diuersitas vicissim ducitur.

Aliud

2) v. the Medical Inquiries and Observations by a Society and Physicians of London, P. I. N. XXVI.

Aliud et inauditum aneurismatis genus a Cl. HUNTERO ³⁾ obseruatum legimus, quod a nemine antea notatum saepius accidere probabile est. Contingere quidem docuit Cl. Vir, vt pertusa imprudenter in sanguinis missione arteria, sanguis ex hac in venam et ex vena vicissim in arteriam fluat. Quod fieri putat ratione fere tali. Lanceola, qua arteria perfoditur, per venam descendat necesse est, quae duplex vulnus accipit, vnum in superiore sede sua, quae cuti vicina est, alterum in inferiore loco, qui arteriam excipit. Quod si tali modo iam accidit, id venae vulnus quod superius est, glutinari poterit, id vero quod inferius est, manente interim arteriae vulnere, se apertum seruare. Vtrumque autem vulnus cum sibi adeo propinquum sit, sanguis facto quasi meatu vicissim ex arteria in venam, et ex vena in arteriam fertur. Tale aneurisma iam praesens quo modo dignoscatur, nunc aperiendum.

Venam, et basilicam imprimis, per quam ictus in arteriam illatus fuerat, sanguine admodum turgentem vidit HUNTERUS. Si fascia brachio adstringebatur, magis ea se extulit. Sanguis in ea fere disparuit tentata compressione; qua remittente: mox iterum ille emerfit et venam inflauit. Fascia brachio quaquauerfum infra venam admota, sanguinis in venam regressus non prohibitus.

F 3

(Com-

3) *Ibid.* P. I. N. XXXVI.

(Compressa ergo vena in arteriam ille se recepit; quod vero fascia infra illam adducta eum non cohiberet, id sane indicat, eum non confucto itinere in venam aduenire, sed per arteriae rimam eo deferri). Cum digitus loco vexato paullo valentius imprimeretur, arteria et vena ea in fede se contraxit, quod fascia etiam resoluta animaduersum est. (In spurio aneurismate tumor non ita cedit). Vena eo in loco, qui pertusus fuerat, tantillum agitari et contremiscere visa est et strepitus in ea animaduersus (propter sanguinem, quidem ex arteria in eam se attolentem). Arteria, quae in brachio valde distendebatur, versus carpum praeter modum angusta fuit. Hanc obseruationem sua nuper experientia confirmauit GEO. CLEGHORN ⁴⁾, Professor Dublinensis, in epistola ad HUNTERUM missa. Ex his praeterea obseruationibus liquet, diu posse tale aneurisma tolerari, idque debere adeo tolerari, neque efficaciore attingi medicina. Fuerunt enim, qui per multos annos eiusmodi tumores in brachio gererent. Multum conducit, si membrum in opportuno situ continetur, vt sanguis ex arteria affecta in venam libere possit comineare, quod imprimis fieri compertum est, si brachium attollitur. Quod sanguinis iter si liberum est atque expeditum, tumor parum vrget, nec effica-

4) Ibid. P. III. N. XIII. Eiusdem generis obseruationes in T. IV. legi, qui nuper prodiit, p. 377. 382.

efficacem medicinam exigit. Tale autem aneurisma perfricandum non est, etsi de caeteris hoc recte praecipiat in Instit. Chir. §. 431.

Venas rumpi et sanguinem ex his ita effluentem tumorem partibus vicinis contrahere haud noua res est. Possè id genus tumoris pro aneurismate spurio haberi, nuperæ Angli chirurgi obseruationes docuerunt.

Machinae ad comprimendum aneurisma bene multae excogitatae fuerunt post PATRIS mei tempora⁵⁾. SENFII machina, quam PATER meus delineauit, paullo post ab HAGEMIERO, expertissimo olim apud Lipsienses chirurgo, ita immutata est, vt firmitus iam contineatur arteria. Vincos enim illa nimis longos habet, neque omnibus brachiis apta perhibetur, in pedis autem aneurismate nullius plane vsus est. Aliud artificium a D. VALLANT⁶⁾, Medico Lugdunensi, excogitatum est, quod se habet fere tali ratione.

F 4

Circulus

5) Vetus chirurgia his machinis destituebatur. Primus olim, quod ego sciam SCULTETUS tale quid excogitauit v. Armamentarium chirurgicum Ed. SPROEGELII T. XXI. (Ed. prioris T. XVIII.) Deinde IO. BOURDELET Medicus quondam Regius illum *ponsiculum* suum, qui dicitur, inuenit v. DIONIS. Cours d'Opérations T. II. p. 692. Zod. Med. Gall. A. 1681. p. 49.

6) vid. HAZON Diss. An tutior faciliorque vulgari detur aneurismatis chirurgica curatio, Parisiis 1750. §. 3. in HALLERI Collect. T. V.

Circulus ferreus, quem membro affecto multo ampliorem esse oportet in vno latere cochleam excipit, in opposito latiore margine excurrit, cui cubitus immittatur. Cochlea autem apice obtuso arteriae adprimitur. Propria huic machinamento virtus est, quod sola arteria contineatur, nec caeterae partes adstringantur. Circulus enim brachio, cui iniicitur multo amplior est, et latior ille margo cubito satis opportunum situm praebet. Parum ab hoc differt FOUBERTI⁷⁾ artificium. Ille enim quoque circulum paullo oblongum brachio immittendum comparauit, qui in laminam ferream paullo latiore excurrit in vno latere, cui laminae puluinar superadditum est; ab opposito latere cochlea descendit, ad comprimendam arteriam idonea, quae puluinari iterum infidet. Celeberr. ACKRELL⁸⁾ duas tabulas ligneas membro adprimit, quae filo ferreo paullo robustiore inter se inuicem vnitae, ita attrahuntur huius filii ministerio, vt in vna tabula cubitus decumbat, altera arteriae infideat eamque comprimat.

Prae caeteris vero artificiiis laudem nobis illa fascia mereri videtur, quam nuper Cel. ARNAUD⁹⁾ excogitauit vsurpauitque feliciter, quam, vt accuratius discerent lectores nostri

et

7) vid. Memoires de l'Acad. T. II. P. III. p. 268 seq.

8) Tal om Nodwandigheten p. 13.

9) v. ARNAUD Memoires de Chirurgie p. 186. 196.

et comparare et vsurpare, ipsis Auctoris verbis describendam putavi: Ces bandages furent executés sur les principes du Tourniquet moderne pour les amputations (v. T. I. Fig. 1.) En tournant la tête de la vis (a.) les platines s'écartent, ou se rapprochent l'une & l'autre suivant le besoin. Celui-ci composé de la même façon, a trois parties principales, sçavoir deux platines de cuivre jaune bien écroui (b. c.) & une vis, (a.) qui chemine dans un écrou fixé sur la platine supérieure. Ces deux platines sont jointes ensemble par le moyen de la vis. La platine inférieure est posée sur la tumeur. On la rend immobile par le moyen de deux courroies (Fig. II. III. d d. e e.) qui sont attachées par une de leurs extrémités, à deux des quatre ardillons ou crochets (f. f. f. f.) rivés sur la platine supérieure (b.) Une de ces courroies passe par dessus la partie antérieure & inférieure de la cuisse; l'autre par dessus la partie antérieure & supérieure de la jambe entre la rotule, & la tubérosité du Tibia. Elles sont attachées par les deux autres bouts aux ardillons correspondans aux premiers par le moyen des trous. (g. g.) Ces platines sont de figure ovale, concaves en dessous (Fig. IV.) Le bords de la platine inférieure sont un peu relevés en dehors pour en adoucir l'arrête. Sa cavité est assez profonde, pour contenir quelque chose de souple comme de la charpie, ou de la filasse de lin & pour renfermer la tumeur. La platine supérieure, comme je l'ai déjà dit,

a la même forme, que l'inférieure, mais elle n'est pas si large ni si profonde, les bords n'en sont pas relevés. La vis passe au travers de l'écrou; cet écrou est foudé, dessus le centre de la platine supérieure. Le bout de la vis est arrêté sur la platine inférieure, par une contre-rivure, dans une capsule foudée dessus, ce qui empêche cette platine de tourner par le mouvement de la vis.

Hanc fasciam in aneurismate brachii spurio maximi vsus cognouit Cel. ARNAUD¹⁰⁾, qui aliam deinde eo potissimum consilio inueniret, quo thrombus, de quo alio loco diximus, firmiter haereret in arteriae hiatu, quem interdum ex eo prorumpere vidisset. Haec autem machina in eo tantum differt a priore, quod tribus laminis composita est; hae cochleae ministerio ad arteriam fauciatam apprimuntur, ex tertia lamina et inferiore corpusculum aliquod pyramidale eminet, quod vulnuscule arteriae insidens thrombum ipsum contineat.

Compressione sola recens aneurisma et exiguum sanari quandoque posse, vetus observatio est, sed grauius etiam malum, quod scalpello debellandum esse videatur, medicamentis vinci, haud ita pridem animaduersum est. Cl. FOUBERT etsi plurimum extollit chartam masticatam, agarici tamen maiorem facultatem esse testatur. Summi enim artis
magistri

10) L. c. p. 195.

magistri ") huius fungi beneficio, arteriam a deligationis chirurgia liberatam viderunt, cui permultas ob causas in aneurismate eum anteponendum esse, cum Celeberr. MORANDO ") persuasum habemus. Et debet sane eiusmodi auxilium deligationis artificio in hac aegritudine praeferrri. In ea enim non de coercendo solum sanguinis impetu, sed de sustentanda quoque arteriae quadam libertate agitur, qua adempta membrum valde periclitari exploratum est. Vnusquisque autem intelligit, filo iniecto illam arteriae libertatem multum impediri *) et curationem, vel perverti, vel multum certe protrahi, quod in illis MORANDI exemplis manifestum est. Sub agarico enim libere poterit fluctuare arteria et ad vitalem motum se extollere, a filo autem, praesertim

11) De agarici virtute singulari in aneurismatis chirurgia testimonia supra a nobis allata fuerunt in Suppl. II. p. 79. His adde PLENKS *Beobachtungen II. Tb.* p. 24. et passim cf. BILGUERS *Wundarzneykunst im Felde* p. 258.

12) *Memoires de l'Acad. de Chir.* T. II. P. II. p. 122.

12*) Neque tamen huic metui nimis multum tribuere oportet. Nam recte PATER meus animadvertit §. 436. minores arterias, si principi ramo vinculum iniectum fuerit, multum ampliari. Resecta radiaea, vlnaris arteriae, ramos omnes sanguine suffundi nuper HALLERUS confirmavit, v. Diss. Ei. de arteria brachiali ad §. 45. in Fasc. cf. HALLERI Comment. in BOERHAVII Praelection. ad §. 692. n. E. v. MOLINELLI L. C. et HAZON L. C.

praefertim si nimis illud fortiter adstringatur, semper metus est, ne ea intercipiatur, et membrum amputationi opportunum fiat. Est vero ubi compressionis auxilium vel solum non sufficit. Eum itaque, qui aneurismatis curationem suscipiat, ad deligationis opus paratum esse oportet.

Huius autem deligationis ¹³⁾ varii sunt modi et multae cautiones. Et sunt primo, quod a PATRE meo praetermissum est, qui arteriam inter vincula mediam discindant, ut retractis vtrinque oris illa in se ipsa coeat, et sanguinis motus reprimatur. Eam rationem

- 13) Ne quis forte existimet deligationis chirurgiam a PAREO (quod multi videntur existimare), vel ab alio quodam Francogallo chirurgo, ad aneurismatis curationem excogitatam fuisse, monendi sunt lectores, veteres iam tum Graecos et deinde Arabes chirurgos illam administrasse. Ita PAULUS AEGINETA in aureo illo libro VI, qui abundat omni genere chirurgiae Cap. XXXVII. *Quae vero aneurismata summas partes, artus vel caput affligunt, hac ratione aggredi convenit. Si quidem ex arteria dilatata tumor obuenerit, cutem linea recta in longum incidemus, deinde diductae orae, sicut in vasorum dissectione dictum est, excoriantur, et scalpellis, quibus membranae auelluntur, circumpurgata arteria nudabitur. Acu traiecta duobus funiculis arteria deligatur.* Cf. AETIUS, qui illo superior est duobus fere saeculis, Tetrab. IV. Serm. IV. C. XL. ALBUCASIS Chirurg. P. II. C. XLIX. Inter Gallos longe ante PAREUM hoc artificium administravit GUIDO DE CHAVILLIAC, v. Ei. Chirurgia Tr: II. C. IV.

nem olim feliciter ingressus est PURMANUS¹⁴⁾ in vero aneurismate, et valde eandem laudavit Celeberr. LE DRAN¹⁵⁾, et nuper AUG. FR. PALLAS¹⁶⁾. Quam ego medendi viam, etsi in vero aneurismate quandoque successisse largior, in spurio, quod artubus contingit, plerumque alienam esse puto cum Celeberr. HEISTERO¹⁷⁾, ELLERO¹⁸⁾, DE LA FAYE¹⁹⁾, et aliis peritis viris. Vbi autem aneurisma praegrande est, et vexatae arteriae tunicae valde iam alienatae sunt, ibi expedit omnino integrum tumorem, qui inter vincula medius est, excindere.

Duplex vinculum semper iniiciendum esse dixit PATER meus, Celeberr. DE LA FAYE²⁰⁾ admonitionem secutus. Neque ea ratio post PATRIS mei tempora euiliuit, sed a plerisque propter vasorum propinquorum periculum necessaria habetur. Ipse CL. FOUBERT²¹⁾ etsi simplici vinculo saepius feliciter usus fuit, duplex tamen tutius esse fatetur, et semper

14) Chirurgia curiosa p. 212.

15) Traité des Opérations p. 537.

16) Chirurgie §. 121.

17) Institutiones Chirurgiae 4. p. 421.

18) Vollständige Chirurgie, Berlin 1763. p. 418.

19) In notis ad DIONIS Cours d'Opérations T. II. p. 705.

20) Ibid. p. 704. Vnum enim vinculum sufficere putabat DIONIS.

21) L. c. p. 258.

per necessarium esse AMBR. BERTRANDI ²²⁾ visum est. Ille vero metus vasorum propinquorum etsi iustissimus videatur, in multis tamen aegris inanis est. Non enim semper affecto loco vasa circumiecta sunt, ex quibus sanguis inferius in arteriam laesam immittatur, quod recte notatum est a Cel. HEISTERO ²³⁾. Quapropter inciso tumore, quae sit arteriae cum caeteris necessitudo, accurate dispiendum. Si enim arteriae truncus immunis est, et si cum arteria vexata nulla vasa a latere progrediuntur, facilius est inferiorem partem arteriae liberam finire, qua devincta plagam maiorem fieri, et membrum rigori opportunum reddi, ab HEISTERO animaduersum est. Vnum vinculum saepius successit Cl. FOUBERT ²⁴⁾, et plerumque sufficere existimatur a Cl. HAZON ²⁵⁾. Cum vero in arteriae brachialis progressionem eiusque propagine ac affinitate nihil perpetuum esse compertum habeamus, si quis est propinquitatis metus, relaxata fascia tortili si sanguis non erumpit, nullum periculum subesse credendum est. Debet vero illa sanguinis observatio paullo curiosior et longior esse, quam si duo vincula iam adstricta fuerint. Sanguis enim

22) Opérations de Chirurgie p. 441.

23) L. c p. 424.

24) L. c.

25) Diff. cit. §. III. Idem etiam sentit HEISTERUS L. c.

enim ex vicinis ramis non protinus erumpit, et serius aduenit, quam qui recta via descendit.

An neruus quemadmodum §. 438. praecceptum est ab arteria seiungendus sit, post PATRIS mei tempora coeptum est dubitari. Fuerunt tamen iam ante eum, qui neruum in vinculi societatem comprehenderent, et inter hos praecipue Cl. THIBAUT²⁶⁾. Inprimis autem PAULUS MOLINELLI²⁷⁾, Chirurgus apud Italos exercitatissimus, neruum non diducendum, sed in filum complectendum esse, et ratione et experimentis probauit. Nam in tribus curationibus, quas hac ratione instituisset, neque neruus ultra modum doluit, neque membrum, quod PATER meus et caeteri metuunt, conuulsum est. Alio autem loco fatetur, dolorem in ipso deligationis opere paullo acerbiorum esse, quam si arteria sola deuinciatur, paullo post vero et dolorem leniri et sensum mox reuocari. Eandem rationem secutus est Cl. FOUBERT²⁸⁾ et AMBROS. BERTRANDI²⁹⁾. Canibus adultis arteriam

26) Ita refert Cel. DE LA FAYE l. c. Neque Cels. LE DRAN haec methodus periculosa videretur.

27) v. Eiusd. Diff. de aneurismate e laesa brachii in mittendo sanguine, arteria. Idem argumentum repetit Vir Celeberr. in Commentariis de Bononiensi Instituto atque Academia T. II. P. II. p. 67. P. I. p. 178.

28) Memoires de l'Acad. T. II. P. III. p. 258.

29) Opérations de Chirurgie p. 438.

teriam cruralem cum vicino neruo et superius et inferius deligauit IO. H. HAZON³⁰⁾, qui neque conuellerentur, neque sensu vel motu inde hebescerent, quod aliter euenit in BRUNNII³¹⁾ experimentis. Neque VALSALVA³²⁾ olim de neruo seiungendo sollicitus fuit, cum chirurgum a graui aneurisinate feliciter liberaret. Neruum sic deligatum tandem indurescere et in ganglion quasi conuerti, eadem narratio docet, quae exstat apud Cel. MORGAGNUM³³⁾.

Magis dolere putauerim neruum, qui de sede sua dimotus a vinculis suis seiungatur, quam qui ligetur. Summa enim chirurgi prudentia neruus ab instrumenti iniuria vix poterit vindicari, dum ab arteria diducendus est et quasi deglubendus. Ipsum vero opus hac ratione protrahi, certum est. Inprimis vero iustus mihi videtur Celeberr. MOLINELLI³⁴⁾ metus, ne in illo negotio minores arteriae furculi prope neruum forte emergentes discindantur, et sanguinis profusio clandestina oriatur. Interdum vero et aegro et chirurgo valde opportunum contingere solet, vt neruus ab arteria multum distet, quod aliquoties

30) An tutior faciliorque aneurismatis curatio §. 4.

31) IO. HENR. ABRUN Diff. sistens experimenta circa ligaturas neruorum in viuus animalibus instituta, Goettingae 1753. p. 14.

32) vid. MOLINELLI Diff. cit.

33) De sedibus et causis morborum Ep. L. Art. VIII.

34) Comment, Bonon. T. II. P. II. p. 69.

quoties obseruatum est. Quod si vero nervus ab arteria vicina iam seiungendus est, non instrumento eum deglubere oportet, sed expedit, quemadmodum a HUNTERO³⁵⁾ praeceptum et a Cl. ARNAUD³⁶⁾ repetitum est, membrum inflectere, repetitis vicibus illud attollendo et deprimendo, qua membri agitatione neruum sine vilo dolore ab arteria diduci, compertum ille habuit.

Si rami tantum deligantur, expedit carnis circumiectae tantillum comprehendere. Sunt etiam qui linteo tenui arteriam inuoluant, quod propter curationem vulneris alienum esse arbitror. Si non a sanguinis missione, sed a vulnere maiore, vel nixu membri aneurisina factum est, plures saepe arteriae pertusae sunt, quas singulas deuincire oportet, si nempe ob alias causas opportunum est deligationem tentare. Videndum quoque est, num arteriae pertusae altera forte a latere propius accedat. Nam primi arteriae brachialis rami, qui supra cubitum diuariantur, interdum adeo sibi propinqui sunt, vt pro eadem arteria vtraque possit haberi. In tali autem casu ea, quae integra est, ab altera vix potest seiungi, etsi hoc quandoque facile succedat. Satius itaque est, vel deligationem omittere, vel si ea exigatur, vtramque comprehendere,

35) In the Medical Inquiries T. I. Obs. XXVI. §. 23.

36) v. Eius Memoires de Chirurgie p. 191.

prehendere, quam, nimis operose vas integrum separando, vtrumque laceffere. Accidit interdum in arteriae tibialis anticae aneurismate, vt deligari ea non possit, propter nimis profundum eius situm. Serrula tunc ossis partem excindere iubet Cel. GOOCH³⁷⁾, quod feliciter ei successit. Monendum tamen est huic auxilio vix locum esse, nisi in membri fractura et in grauiori vulnere contuso, vbi molles partes valde sint dilaniatae, et os fere denudatum perhibeatur.

Lata illa PETITI acus, quam delineauit PATER meus et immutauit Cel. HEISTER³⁸⁾, minus hodie probatur. Etsi enim illa ad atollendam et sustentandam arteriam in hoc opere valde idonea sit, tamen propter istam latitudinem suam nimis multum de partibus circumiectis discindit, vbi praesertim metus est, ne rami ad vexatum locum ex arteria emergentes abrumpantur. Angustissima acu utebatur Cl. MOREAU, quam caeteri quoque, quibus in hoc genere magistris vsus sum, commendarent. Ita quoque praeeptum est a P. MOLINELLI³⁹⁾.

Singularis tandem et prorsus inaudita mendendi via mihi commemoranda est, quam
in

37) v. GOOCH Cases and practical Remarks p. 97.
Cf. CH. WHITE Cases in Surgery whit Remarks
P. I. London 1770. p. 114.

38) Institutt. Chir. T. I. p. 424.

39) L. c.

in aneurismatis chirurgia nuper iniuit Anglus quidam Chirurgus D. LAMBERT⁴⁰⁾. Ille enim tot infelices huius morbi curationes ab intercepto sanguinis motu recte quidem repetens, arteriam non deligandam, sed cum aliquando haec chirurgia ei obueneret, parua acu quartam partem pollicis longa consuendam putauit, acu nempe per vtrumque vulneris labium transmissa, eaque deinde, quemadmodum in labio leporino fieri consuevit, iniecto filo adstricta. Quae illi chirurgia adeo feliciter successit, vt die post opus decimo quarto acus sponte excideret et aeger cum vitalem in membro motum, tum pristinam sanitatem recuperaret. Quae mihi methodus in leniore aneurismate cui agaricus sufficit, superuacua, in grauiore minus tuta esse videtur.

40) In the Medical Inquiries Vol. II. Obs. XX.

 SUPPLEMENTVM IV.

GANGRAENA.

Quamquam hic locus de gangraena et sphacelo prae caeteris diligenter tractatus est in *PATRIS* mei Institutt. Chir. neque post mortem Viri, recentiorum vel ingenio vel obseruatione auctus adeo et emendatus perhibetur, ita vt valde exiguum futurum sit hoc supplementum nostrum, si vel a *SCRIPTORIS* incuria quadam, vel ab aliorum laboribus supplendi materiam repetere deberem: facere tamen haud possum, quin breui sermone in istam tractationem excurram, quae non tam emendatione, quam subactione potius noua et digestionem quasi egere videtur, vt formam nanciscatur ad hodiernae disciplinae imaginem expressam.

Primum itaque monendi sunt discipuli, ad quos, vt *PATER* meus librum suum pertinere voluit, ita ego quoque volo pertinere hanc operam nostram, certis experientiae finibus circumscribendam esse illam *AUCTORIS* de origine mali opinionem, quae ex fontibus Boerhauianis hausta, plerorumque animis adhuc insidet. Nam inter tot compendia Chirurgiae recentiora nullum equidem

dem euolui, in quo istam BOERHAVII¹⁾ vocem non repetitam viderem atque vsurpata: *Gangraena tertius est modus, quo exit inflammatio.* Duo vero in hanc sententiam sunt animaduertenda; primum non omne gangraenae genus inflammatione fieri, deinde si aliquando inflammationem gangraena sequitur, illam huius causam non esse, sed aliis causis, qui eam efficiant, in subsidium ac societatem venire.

Quod ad primum attinet, bene nouit PATER meus, non omnem gangraenam inflammatione nasci, quod late patet ex §. 178. Id enim genus, quod febre impetuosiore incenditur, per totam illam tractationem seiunxit ab altero, quod sine inflammatione erumpit. In ea tamen opinione constantem video PATREM meum, gangraenam, si quae inflammationem sequatur, vel concomitetur, inflammationis, h. e. motus citatoris effectum esse. Docuerat enim BOERHAUIUS²⁾ aestu sanguinem ab initio cogi, deinde vero febris motu concitatore facto sales in eo solui, et propter hanc ipsam salium euolutionem putredinem et gangraenam moueri. Quae disputandi ratio, etsi multis placuerit doctis ac peritis viris, vel mihi tamen dubitatione nondum carere videtur. Etenim primum, quod supra monitum est, sine inflammatione

G 3

gangraena

1) Aphorism. 388.

2) Aphorism. 100 seq.

gangraena interdum funesta oritur, ex quo certe colligitur, gangraenam praeter inflammationem alias causas habere. Deinde inflammationes aliquando leuissimae abeunt in gangraenam, et diuersa ratione validissimae interdum et concitatissimae febres bonum exitum habent. Quae mihi accurate iam intuenti et comparanti, grauissima suboritur contra PARENTIS mei doctrinam dubitatio. Quod si enim non omnis febris violentia summa gangraenam mouet, mali causa non in febris impetu, sed aliunde quaerenda esse videtur. Quae cum ita sint, vt late pateat, quid sentiam, laetior quidem, valida inflammatione gangraenam cieri, malum vero ipsum, non ab istis incendiis, sed a peculiari quadam solidorum ac fluidorum conditione repetendum esse puto.

Hae autem rationes, quibus inflammata et suppurata gangraenae opportuna redduntur, etsi PATREM meum haud latuerunt, his tamen nimis parum videtur tribuisse, nimis multum inflammationi, quae ipsa non est causa mali, sed harum causarum, quae iam diductius explanabo, ministra quasi et adiutrix. Harum duplex est genus; vnum cernitur in partium solidarum vitio, alterum in humorum peruersitate. Vtrique generi certae formae subiectae sunt. Nam vitium solidarum pendet vel a neruorum stupore, vel a fibrarum ac vasorum hebetudine quadam.

Si

Si in fluidis mali causa residet, vel ad nimiam partium ignearum commotionem, vel ad putridum humorum vitium respiciendum. Haec ut non ab ingenio, sed ab ipsa natura petita esse intelligantur, singulas illas gangraenae vicissitudines iam perquiramus.

Inflammatiō itaque si in gangraenam tendit, fieri hoc primum arbitror propter nervorum stuporem. Hoc autem ego stupore eam aegri conditionem intelligi volo, qua omnis nervosi liquidi et secretio et vis intercepta esse videtur. Manifestat se hoc periculum, et in summa virium defectione, quae aliquando et ab initio praesertim cum summa febris violentia esse solet, in sensuum externorum et internorum hebetudine, iactatione, somnolentia. Haec omnia, ubi cum febris impetu, et pulsus duritie per aliquod tempus subsisterunt, febris paulatim extinguitur et pulsus remittit, qui ita tandem debilis fieri solet, ut vix persentiscatur. In his omnibus, quae saepe ineunte statim inflammatione se produnt, certissimum est gangraenae indicium. Qui Celeb. QUESNAI³⁾ egregium librum legerunt, memores erunt, eum hac ipsa imagine inflammationis quandam speciem depinxisse, quam appellaret *inflammations mortes*, quo ille vocabulo inflammationem indicare voluit, quae statim est cum vitae discrimine, et cum summa

G 4

principis

3) Traité de la Gangrène.

principis facultatis perturbatione. Quae autem modo propter hanc solam principii vitalis imbecillitatem gangraena nascatur, id omnibus spero ex primis Pathologiae praeceptis cognitum fore atque perspectum.

In tali autem casu quis inflammatione gangraenam factam esse existimauerit? Inflammatio poteritne, vel sua vi, omnem fere sentiendi ac mouendi facultatem frangere, et cerebrum vel neruos eius ministros et satellites, ictu quasi attonitos percellere? Idem accidit in aliis febrium generibus. Sunt enim multae statim ab initio cum summa debilitate et cum illo neruorum ac cerebri stupore, et quae ita incedunt in certissimam aegri perniciem tendunt. Nemo est tam vel ingenio hebes, vel rudis institutione et experientia, qui non intelligat, summam in tali casu virium defectionem, quae cum primis aliquando morbi initiis esse solet, vel a naturali aegri conditione, vel a certis causis pendere, quae morbum praegressae fuerint, vel si pendeat a morbi materia et malignitate, cerebrum ea neruosque suffundi. Superest, ut huius gangraenae, quae tali a causa nascitur, exempla quaedam adducamus. Qui vel sanguinis profusione exhausti, vel doloribus admodum fracti sunt, his si inflammatione corripuntur, gangraena imminere solet. Deinde est genus quoddam gangraenae, quod in extremis morbis acutis se prodit, et cum erysi-

erysipelate leniore plerumque esse solet, quod fere totum est a neruorum hebetudine. Eadem quoque de causa capitis vulneribus grauioribus gangraenam in inferioribus aliquando sedibus superuenire nouimus, quae etsi inflammationem sequatur, ab ea tamen repeti nullo modo potest.

Haec quae iam executus sum, ad neruos in vniuersum pertinent, qui si propter causas illas, quae superius a me allatae fuerunt, hebescent ac torpent, sublato vitalis fluidi circuitu, gangraena, vel mors hominem peruadit. Haec stuporis vis magis adhuc elucet, si neruo cuidam peculiari labes inuritur. Hoc enim si accidit, membrum gangraenae opportunum reddi nemo ignorat. His autem, quae nimis trita mihi videntur, non immorabor.

Est porro stupor aliquis solidarum partium, ab illo in neruis residente diuersus. Oritur ille ab omnibus iis, quae premendo, contundendo, dilacerando, solidas partes labefactant et vim earum elasticam frangunt, ut ad motum illae se haud possint erigere, quapropter sanguis cum aliis humoribus in vasis et in adiposa tunica quiescit — indeque noua gangraenae causa, quae ab inflammatione repeti nullo modo potest. Illum autem solidarum stuporem, qui in locis inflammatis toties animaduertitur, si non residet in neruis, non ab inflammationis vi, sed ab

externa quadam iniuria proficisci arbitror. Eum itaque efficiunt ictus varii, contusa vulnera, fasciae adstrictiores. Hae autem causae sicuti saepissime sine inflammatione gangraenam efficiunt, ita quoque si inflammationem vel praecesserint, vel eam sequantur, solae poterunt eandem inducere. Quod itaque et in tali casu ab inflammatione gangraenam repetierunt BOERHAVII, SWITENII, et alii doctissimi viri, quos PATER meus in hoc genere secutus est, hoc ita mihi fecisse videntur, quod sedem inflammationis in arteriis collocarent, easque a sanguine in iis quiescente distendi, ac tandem penitus labefactari sibi persuaderent.

De humorum peruersitate nihil est adeo, quod moneam. Eam enim et PATER meus inter gangraenae causas retulit, et BOERHAVIUS et caeteri, qui huius disciplinam fuerunt secuti. Id tantum hoc loco praetermittere nolui, vitium sanguinis, in quo cernitur illa ad gangraenam opportunitas, aliquod discrimen accipere, vel ab ignearum et vrentium molecularum multitudine, vel a biliosa et putri corruptione. Saepissime utrumque vitii genus in vno morbo coniunctum perhibetur. Ab illo, quod ab initio plerumque se exserit, dolor vrens, calor, sitis, *ερευσιπιλας*, pustulae, membri dolor, color fuscus et niger, et illae tandem *escharae gangraenosae*. Latissime autem hoc genus patet in carbunculo

culo, *αἰθραξ* dicitur graecis. Videtur in hoc genere causticarum molecularum vis in partem quandam esse conuersa ⁴⁾). Alterum genus putredine maxime se prodit, inde sudores, deiectiones, animae grauitas, membri oedema et emphysema, foetor, doloris remissio et sensuum stupor. Nosse igitur oportet; sanguinis vitium quod gangraenae fauet, non semper esse in putredine.

Magnum gangraena discrimen accipit a humiditate vel siccitate, a qua morbi diuersitate praestantissimi libelli partitionem duxit Cel. *QUESNAI*, qui primus, quod mihi videtur, ista diuisione recte vsus est. Haud quidem noua res est, gangraenam siccam ab humida seiungere. Eandem rem aliis verbis indicauit *PATER* meus, a causis mali differentiam repetens. Nam illud genus, quod a vi vitae aucta oritur, seiungit ab altero, quod ab imbecillitate nascitur. Monendi autem sunt tirones, siccae gangraenae vocabulo illud morbi genus ab omnibus nuperae aetatis scriptoribus indicari, quod *νεκρωσις* dicitur, et senibus praesertim frequens esse solet. Ita *FABR. HILDANUS* ⁵⁾) et alii superiorum iam
tum

4) Idem sentire videtur *AMBR. PARE'* Opp. L. XXI. C. XXXII. p. 637. Edit. Fr. ad Moen. 1593.

5) v. *HILDANI* liber de Gangraena et Sphacelo C. XII. Opp. p. 785. Ed. Frcf. 1689. De gangraena sicca diligenter scripsit *FR. BOISSIER SAU-*

tum facculorum scriptores, siccam et humidam gangraenam seiunxerunt. Hodie vero latius patet siccae gangraenae nomen, eique subiecta sunt plura genera, quae olim in humida continerentur. Eoque referenda primum est necrosis, quae nascitur ab interna venenata quadam malignitate, qualis scorbuto, podagrae, maloque venereo inesse solet; ea quoque accidit senibus et pauperibus, propter inopiam humorum et virium defectionem summam. Aequè vero ad gangraenam siccam referendum est illud genus, quod arteriae vel nervi principis vincturam et praescissionem sequitur, vel propter fascias adstrictiores interdum contingit. Neque existimandum est, omnem gangraenam humidam esse, quae inflammationibus superueniat. Minus accurate nonnulli siccae et humidae discrimen in eo posuerunt, quod illa sit absque partis affectae obstructione, haec autem obstructionem sequatur. Est tandem aliquod gangraenae siccae genus, quod febribus acutis putridis superuenire interdum solet, natum ab humorum vitio et virium defectione, de quo deinceps erimus dicturi.

Solent

G E S Nofol. Method. p. 624 seq. De necrosi, quae oritur a fecali cornuto, cuius mentionem iniecit PATER meus ad §. 200. legi meretur Cl. SALERNE dissertatio in Memoires de l'Academie des Sciences A. 1755. p. 155. Mira de gangraena sicca epidemica narratio extat in ROUX Journal de Medicine T. XVII. p. 327.

Solent plerique a sede mali gangraenae differentiam petere, externam et internam distinguentes. Sed videndum est propter curationem recte instituendam, ne nimis multum huic partitioni tribuamus, a qua multi et gravissimi errores mihi profecti esse videntur. Etenim in ea me semper opinione fuisse profiteor, ut ab externa membri labe gangraenam vel parum vel nunquam oriri putarem. Vniuersi corporis, non membri morbum in gangraena mihi agnoscere videor, eamque a neruorum et principis facultatis hebetudine, a vitio sanguinis, non a membri cuiusdam stupore, vel putredine repetendam putamus. Omnis itaque gangraena ab interna causa nascitur, si ab eo genere discefferim, quod sequitur grauissima vulnera sclopetorum, ubi omnes partes molles ac durae dilaniatae sunt atque diffractae, ut vitalis circuitus penitus intercipiatur et a quiescentibus et emissis humoribus putredo foetidissima oriatur. Membrum autem tali modo fauciatum pro animali parte vix poterit haberi. Et in hoc solo exemplo gangraena poterit ab externa causa repeti.

Ex his consequens est, gangraenam si quae externam aegritudinem sequitur, aequae ac de suppuratione dictum est, non in affecta parte gigni, sed illam causam externam id tantum efficere, ut vel accensa febre, peruersa cuiuslibet generis materia ex humoribus

bus excutiatur, et ad vexatam partem doloris stimulis alliciat, vel suppressa facultate vitali, et extincto calore naturali, sanguis et tenuiores humores in telam cellulofam emanare soliti soluantur peruertanturque. Haec autem malignitas etsi iam vndique fluida infecerit, praecipue tamen ea in corporis sede vim suam exercet, in qua praesens iam malum aduenientem labem fouere potest atque sustentare. Si enim malignitas quaedam humores nostros peruasit, eius et materia et vis in eas corporis partes maxime effunditur, quas vulnus male habet, vel tumor obsidet, ita vt pars fauciata quaelibet et affecta, mea quidem sententia, pro nouo quasi et peculiari secretionis organo haberi possit.

Ex his intelligitur, omnem curationis spem omneque auxilium ab vniuersa humorum munditie et a vitae facultate peti certissimum, neque morbi euentum magnitudine et difficultate mali externi, sed corporis robore et puritate debere aestimari. Indeque contingere arbitror, vt membra saepe misere dilaniata atque contusa ab extrema pernicie vindicentur, aliis interim in mediocri labe gangraena funesta emorientibus. Quae cum ita sint, ab internis remediis munditiei humorum et vitae facultati consulentibus, non ab externis illis condimentis petenda curatio, quibus etsi putredo arceri plerumque creditur, illam ipsam vim solidarum partium labe-

labefactari puto, qua adempta integritas membro feruari nequit. Parum, quod ab exercitatissimis magistris accepi et ipse cognoui, ista auxilia antiseptica externa valent, cada-
ver, non viui corporis partem condire de-
cet; nam in illo de cohibenda putredine tan-
tum, in hac de sustentanda solidorum facul-
tate agitur. Atqui ea omnis perit illorum
balsamorum vsu, quibus fibrae corrugantur at-
que franguntur, quod etiam partibus mor-
tuis tali ratione conseruatis contingere vide-
mus. Neque humorum vitio his auxiliis in
vivo corpore satis consulitur, quippe quod,
vti iam dictum est, non in membri affectu fini-
bus continetur, sed latius regnat per vniuer-
sum corpus. Vnam corticis Peruuiani vn-
ciam multis therebintinae libris plus valituram
esse, certissime persuasum habemus.

Quod reliquum est, vt ad siccam gangrae-
nam reuertar, nolim existiment forte tiro-
nes, eam sine putredine esse. Etenim illius
praesentis indicium certissimum ducitur ab
odoris foetidate, quae summa interdum in
illa siccitate percipitur. Quapropter minus
accurate gangraenam nonnulli in putridam
et siccam diuidendam esse scripserunt. In
qua re lapsus esse videtur SAM. SHARP 6),

Vir

6) v. A critical Enquiry in to the present state of
Surgery by SAMUEL SHARP 1761. p. 266.
Ita quoque olim P. GUISSARD siccam et putri-
dam

Vir Celeberrimus. In humida gangraena mollior est cutis et sanie intus haerente aliquantum turgida. In sicca phlyctenae haud erumpunt, neque membrum rubet, neque eius exterior habitus multum alienatur, nisi quod maculae subliuidae hinc inde disperguntur, vel, quod ab initio praesertim contingit, niger color extremis membris iniuritur. Dolores interdum et ineunte et subsistente et ad internecionem iam vergente malo, praesertim si a venenata quadam malignitate illud in iuniore corpore ortum est, acerbissimi sunt, ex quo intelligitur, nervorum vim non semper in hoc morbo penitus fractam esse. Alias stupor totum membrum tenet. Solet etiam talis gangraena cum levi aliquando inflammatione incedere, quae mox iterum extinguitur et in exitium conuertitur. Ex his itaque elucescit, gangraenam siccam non semper oriri ab interna causa, quod existimant bene multi. De adolescente apud **MORGAGNUM** 7) narratio legitur, qui fracta ceruice femoris, in gangraenam siccam coniciebatur, paucorum dierum spatio funestam. Neque eam quae ab interna causa nascitur, semper

dam gangraenam minus recte seiunxit. v. Eius Pratique de Chirurgie p. 175. Cf. **TH. KIRKLAND** A Treatise on Gangrenes C. III. **BAGIEU** Examen de plusieurs parties de la Chirurgie T. II. p. 677.

5) De causis et sedd. morborum Ep. LV. Art. XXII.

femper siccam esse oportet. Multum confert aegri conditio et morbi indoles.

Tandem etiam commemorandum hoc loco duximus, illud gangraenae genus, quod acutis morbis superuenire interdum et salutare esse perhibetur; talis autem gangraena sicca plerumque esse solet. Vbi atrocis morbi impetus et materia in membrum aliquod se conuertit, breui aliquando illud corrumpitur, cuius rei exempla a TULPIO⁸⁾ et SWITENIO⁹⁾ memoriae prodita leguntur. Interdum quoque mala materia ad nates vel ad dorsum, nata in illis partibus gangraena, cum aegri leuamine deponitur. Monendi enim sunt tirones, non omnia mala vlcera, quae in febribus oriuntur ad has partes, a diurno decubitu fieri. Illa enim si celeriter erumpunt et magnam subito peruersae materiae copiam fundunt, et cum caeteris bonis signis se manifestant, salutaria sunt existimanda, et fouenda potius quam auertenda. Alienae sunt ab hoc genere profundae incisiones, quibus in humiditatem foetidissimam plerum-

8) V. NICOLAI TULPII *Observationes Medicae* L. III. C. XLVI.

9) *Comment. T. II. p. 124.* De gangraena critica legi meretur TH. KIRKLAND A *Treatise on Gangrenes* C. IV. cf. SAUVAGES *Nosologia methodica* T. II. p. 629. QUESNAI de la Gangreene p. 683. Eius iamdem notitiam habuisse videtur HIPPOCRATES *Coac. Praenot. L. I.*

plerumque siccitas illa conuerti solet. Ne scarificatione quidem eiusmodi gangraena tentanda est, quemadmodum a Cl. SAUVAGES¹⁰⁾ monitum est, et nuper a KIRKLANDO¹¹⁾, sed conuenit carnibus affectis vnguentum de styrace superhabere, et vbi illae iam alienantur vnguento Aegyptiaco eas sustentare. Nequetamen in hac causa audiendus est Cel. SHARP¹²⁾, qui incisiones et scarificationes in omni gangraena vel parum vtilis, vel omnino alienas, neque aliam ob rationem instituendas esse putat, quam vt medicamentis via muniatur. Nam recte aduersus hunc animaduersum est, ab Exp. BAGIEU¹³⁾, maximum in scarificatione praesidium contineri, qua et saniei exitus detur, et a contractu, obstructione et spasmorum violentia partes affectae vindicentur. De incisionibus autem in vniuersum tenendum est, eas neque nimis profundas esse debere, neque, quod plurimi faciunt, mortuam et putrem carnem scalpello nimis audacter auferendam esse, quod etiam PATER meus noluisse videtur (§. 201.) Nam docue-
runt

10) Nosologia methodica T. II. p. 630.

11) A Treatise on Gangrenes 1754.

12) v. A Critical Enquiry into the present State of Surgery by SAMUEL SHARP 1761. p. 270 seqq. Incisiones etiam condemnat Cel. QUESNAY Tr. de la Gangrène p. 388.

13) Examen de plusieurs parties de la Chirurgie 1757. T. II. p. 680 seqq.

runt Cel. DE LA MOTTE ¹⁴⁾, observationes, inanem esse spem eorum, qui mortuum a viuo seiungere gestiunt. De gangraenae retardatione alius erit dicendi locus.

Peruuiani corticis in gangraena virtus, quam PATER meus praedicauit §. 205. innumeris paene recentiorum observationibus confirmata est. Abundat huius remedii laudibus totus egregius KIRKLANDI ¹⁵⁾ liber, qui prae caeteris diligenter de hac re scripsisse perhibetur. Quemadmodum autem PATRIS mei tempore non defuerunt, qui laudes istas diuini auxilii labefactarent, ita hodie quoque sunt permulti, qui vim eius in gangraena debellanda adeo efficacem esse negent. Cel. SHARP ¹⁶⁾ nullam in cortice reperit virtutem, qua caetera medicamenta cardiaca in hoc morbo destituantur. Parum se auxilii ab eo impetrasse Cel. ACKRELL ¹⁷⁾ testatur. Quae de re, cum huius medicamenti facultate se destitutos quidam viderent, in eam inciderunt opinioem peritissimi viri, eius vim et fructum non ad omne gangraenae genus pertinere. Mira est inter chirurgos dissensio. Cum

H 2

primum

14) *Traité complet de Chirurgie* T. III, p. 335. Miror sane Cel. SHARPIUM ab incisionibus alias et scarificationibus alienum, hanc mortui a viuo separationem commendare. v. *Enquiry* p. 281.

15) *A Treatise on Gangrenes*. Possit hic liber inscribi: *Vindiciae corticis Peruuiani*.

16) *Enquiry* p. 273.

17) *Chirurgiske Händelser* p. 339.

primum inente hoc saeculo cortex a RUSHWORTHIO ¹⁸⁾ ad gangraenae usum accommodaretur, in eo praesertim genere usurpatus est, quod siccum est et ab interna causa nascitur. Inde PATER meus §. 205. et ante eum

- 18) Primus corticem Peruvianum in gangraena tentavit IO. RUSHWORTH A. 1715. v. A Proposal for the improvement of Surgery. Hunc secuti sunt alii Angli et inter hos AMYAND v. a Proposal etc. p. 12. IO. DOUGLAS vid. Eius ep. in eodem opere p. 32. IO. SHIPTON in the Philosophical Transactions Vol. XXXVII. N. 426. cf. WERLHOFFII Obs. de febribus p. 256 seq. et p. 331 seq. Post VATERI diff. quae laudatur ad §. 205. Instit. Chir. a. 1746. DETHARDINGII diff. prodiit de corticis Chinae efficacia in gangraena et sphacelo adhuc dubia. Laudes corticis Peruviani in gangraena repetiit Celeberr. QUENAI Tr. de la gangrène et TH. KIRKLAND Tr. on gangrenes cf. HUXHAM Opp. T. II. p. 72. Eiusdem generis exempla existant in Hist. de l'Academie des Sciences. A. 1752. p. 58. in Recueil periodique T. VI. p. 178. T. VIII. p. 313. T. IX. p. 45. ib. p. 307. in the Philos. Transact. Vol. L. P. I. p. 379. cf. BILGUERI diff. de amput. vel parum vel nunquam administranda. Legi etiam meretur Cel. BÜCHNER diff. de usu corticis Peruviani chirurgico, Halae 1766. Partes putredini aduersantes cortici Peruviano inesse PRINGLI nuper experimenta docuerunt v. the Philosophical Transact. N. 486. Plura in hunc usum instituit Doctiss. MAUTT v. diff. de cortice Peruviano, habita Lugduni Batavorum 1760. in CL. SANDIFOOTI Thes. Dissertat p. 195.

eum P. GUISSARD¹⁹⁾ in sicca gangraena eum praesertim valere scripserat. IO. ASTRUC²⁰⁾ Vir nuper Celeberr. in eo tantum gangraenae genere corticem Peruvianum, vel in suis experimentis, profuisse testatur, quod intermittentibus febribus et acutis quibusdam putridis superuenerit. Ita pariter Cl. DARLUE²¹⁾ in eo tantum genere valere corticem existimat, quod nascatur a putrida febre, in humida autem gangraena, quae vel inflammationibus violentis, vel hydropi superueniat, aequae ac in sicca illa, quae senibus accidit, repudiandum putat. SHARPIO²²⁾, qui parum huic medicamento fauet, in sicca praesertim illud fugiendam esse videtur, cum quo vel in hoc consentit Cl. BAGIEU²³⁾. Aliter nuper visum est BENI. GOOCH²⁴⁾, et FR. BOUCHER²⁵⁾, et TH. KIRKLAND²⁶⁾, peritissimis viris, qui magnam eius vim in sicca gangraena, et in ea praesertim cui senes obnoxii sunt, cognoscerent.

Ego vero etsi alienus sum a horundam opinione, qui nullum esse gangraenae ge-

H 3

nus

19) Pratique de Chirurgie. v. HALERI methodus studii medici p. 789.

20) Traité des tumeurs et des ulcères p. 56.

21) v. Journal de Médecine par Mr. VANDERMONDE T. X. p. 209.

22) Enquiry p. 224.

23) Examen T. II. p. 741.

24) Cases and practical Remarks in Surgery p. 155.

25) Journal de Médecine T. XVI. p. 412.

26) A Treatise on Gangrenes C. III.

nus sibi persuadent, cui non medeatur cortex Peruvianus: ii tamen qui a sicca gangraena eum abhorreere existimant, ingenium magis et rationem, quam experientiam mihi sequuti esse videntur. Nam vulgo non intelligunt, quae sit gangraenae siccae ratio et indoles. In qua si fugiendus esset cortex Peruvianus, semper adesse deberet vasorum angustia et fibrarum contractus, quod aequè sibi fingere nonnulli videntur ac in humida gangraena laxitatem et amplitudinem vasorum contingere semper. Primum enim externus habitus, a quo angustiae et laxitatis signa peti plerumque solent, multos, quod ego quidem puto, sefellit. Siccitatem neque contractus vasorum, neque humiditatem gangraenae amplitudo et laxitas semper concomitatur. Illud siccae gangraenae genus, quod ab interna malignitate humorum vel a debilitate et hebetudine neruorum nascitur, summam aliquando laxitatem adiunctam habet. Etenim a siccis corporibus ea non abhorret, quam ne a senibus quidem semper alienam esse putauerim. Ita pariter certissimis argumentis persuasum habeo et obseruatione exploratum, in humida gangraena, quae violentis inflammationibus superueniat, putrique humore abundet, angustiam et contractum vasorum aliquando esse summum. Ex his itaque colligitur, corticem Peruvianum, neque huic generi semper prodesse, neque obesse
illi,

illi, quod siccum dicatur. Quod reliquum est haec lex, cortice Peruviano ne in sicca gangraena utamur, scholam valde redolet nataque esse videtur ab illo plerumque errore, qui siccam gangraenam sine putredine esse fingunt. Nemo, qui vel paullulum ultra systemata sapit, terreas istas particulas adstringentes et exsiccantes, vel propter siccae gangraenae nomen adeo extimescendas putabit. Neque in his partibus vis omnis medicamenti continetur. Est enim praeter haec in eo aliquid nervis amicum, quod vitalem spiritum excitet, et propter id ipsum cordis motum augeat et sustentet, in quo maximum est aduersus gangraenam praesidium.

Quae cum ita sint, si ad morbi indolem accommodandus est corticis usus, non a humiditate et siccitate gangraenae, sed a laxitate vel angustia et fortitudine vasorum, certa lex petenda. Alienus est in eo genere, quod nascitur ab obstructione magna et profunda, vel a valida compressione, et si vel naturaliter, vel propter spasmos, fibrae rigent et fortiores perhibentur, si humor in adiposa tunica et in vasis quiescens, sanguinolentus, niger et spissus adparet, qualis plerumque esse solet, si a compressione gangraena facta est, tandem ubi neque inflammatio²⁷⁾ ne-

H 4

que

27) Et si plerique consentiunt in inflammatione corticem Peruvianum alienum esse, fuerunt tamen, qui

que pulsus conquieuit. In eo gangraenae siccae genere, quod ab humorum vitio vel a senectutis infirmitate oritur, nulla obstructio, sanguis parvus, tenuis, et corruptus, pulsus mollis, fibrae debiles nerui infirmi, — si aduersus haec mala inter multa medicamenta optio nobis data sit, corticem Peruvianum credo nos esse electuros. Atqui si ab hoc discesserimus, nullum nobis auxilium relictum video, in quo possimus fiduciam aequae iustae atque securae collocare"). Quod enim amara phar-

maca,

qui et in hoc morbo eum experiendum putarent. Hanc medendi rationem, qua Cel. MORTON olim utebatur, restituere nuper conatus est Vir Celeberr. IO. CASIMIR MEDICUS, v. Eius *Beobachtungen aus der Arzneykunst, II. Band* p. 452 seq. conf. MORTON *Opp.* T. II. p. 79. Contra hanc methodum dissertationem haud ita pridem edidit Celeberr. nuper BÜCHNERUS de virtute corticis Peruvianii antiphlogistica, Resp. GEORG. SIGISM. WEICHERT, Halae 1768. In gangraena, quae inflammationem concomitatur alienum esse corticem Peruvianum grauis auctor est Cel. PRINGLE v. *Observations on the diseases of the Army* p. 300. Idem quoque experientia compertum habet CL. MAUTT l. c. §. 12.

- 28) Miris laudibus plumbi nuper vsus in gangraena extulit Cel. GOULARD in libro, qui inscribitur *Traité sur les effets des préparations de plomb et principalement de l'Extrait de Saturne* 1760. Has plumbi virtutes nuper confirmauit ULR. CHR. SALCHOW, Danus, v. Ei. *Chirurgische Beobachtungen* etc. Multi de vtriusque experientia dubitantes

maca, corticis Peruuiani facultatem aequare nonnulli existimant, id mihi totum fere in coniectura, et spe quadam similitudinis positum esse videtur. Etenim vulgo putant corticis vim summam in constringendi quadam potentia contineri. Atqui amarae plantae vel hypocistis aut sambuci cortex, aequae constringunt. Ergo sunt aequae profutura. Ego vero etsi hanc spem haud inanem esse dixerim, quam scio experientia non destitui, valde tamen vereor, ne tota ea nitatur partium constringentium et antisepticarum communiōe. Inest vero praeter haec, quod supra monui, cortici Peruuiano proprium aliquod principium, vitae ac neruis amicum et cardiacum, quod sensu facilius et experientia percipitur, quam descriptione internoscitur, quod alii medicamento a natura datum est nulli. De caeteris gangraenae generibus iam nihil addo. Vbi enim cum laxitate humiditas adest, et sanguis tenuis ac resolutus perhibetur, vbi membrum foedum madorem exspirat et in emphysema²⁹⁾ cutis attollitur,

H 5

Peruuia-

tantes illas plumbi laudes inanes esse existimant. De plumbi usu in aliis morbis, inflammatione, bubonibus etc. v. Exercitatissimi THE DENII, Chirurgi Berolinensis, *Bemerkungen* p. 94.

- 29) Emphysema putrem sanguinis corruptionem, eiusdemque tenuitatem in gangraena indicat, et nasci videtur ab aliqua humorum in cellulis fermentatione. Ita forte intelligendus est Celeberr.
nuper

Peruvianum haud nouerit, qui eum in tali exemplo non expetendum putet.

Extrinfecus corticem Peruvianum in Anglia nuper coeperant experiri, quam rationem et Galli et Germani secuti sunt. Potest autem eius decoctum cum vulneraria quadam aqua commixtum superhaberi, interdum etiam expedit cum lacte illum coquere et additis aliis cataplasma parare. Sunt nonnulli, qui cum cascarillae puluere eum misceant, quae ratio plurimum extollitur a Cl. ROSSIGNOLLY³⁰⁾). Neque vero multum oportet ab externo huius medicamenti usu sperare, quod saepe frustra tentatum nouimus.

nuper MEAD, qui corticem Peruvianum sanguinis fermentationem cohibere dixit; v. Lib. de Variolis et morbillis p. 79. cf. KIRKLAND L. C. C. L.

30) v. Journal de Medicine T. IX. p. 307.

SUPPLEMENTVM V.

AD

AMPVTATIONEM PERTINENS.

I.

DE AMPVTATIONE

INSTITVENDA.

Et si vehementer abhorrebat PATER meus, a quorundam chirurgorum vel ignorantia vel inhumanitate, qui, facilius esse intelligentes, membrum praecidere, quam seruare, ultimo auxilio, caeteris neglectis, ad perniciem hominum et mutilationem abutuntur; ita tamen de amputationis suscipiendae rationibus ILLE scripsit, ut verendum sit, ne lectores imperiti eius de hoc genere doctrinam male intelligant, temerarii autem, in auctoritate VIRI summae audaciae et petulantissimae festinationis suae praesidium quaerant. Et ingenue profiteor in summa illa aduersus PARENTEM optimum pietate, nimis illum in diffractis ossibus vel sclopeto collisis, (nam in vulneribus arteriarum principum parum ab eo dissentio), ad hanc chirurgiam properare, in qua re lapsos esse videmus summos olim magistros

magistros exercitatissimosque, ipsumque **DRA-
NIUM** et **PETITUM**,¹ quorum libri de hoc
genere paullo ante **PATRIS** mei Instituti. Chir.
prodierant. Non defuerunt quidem in chi-
rurgorum monumentis exempla, quibus pas-
sim ostenderetur posse membra seruari, quae
amputationi proxima videantur, neque illo
ipso tempore defuerunt chirurgi permulti,
qui ab amputatione valde abhorrent, et
sine tristi illius ministerio, aegros seruarent
suos. Interim tamen neque exempla illa in
libris passim commemorata, neque tot cura-
tiones feliciter gestae, ad emendanda illa
praecepta artis, quae dicuntur, poterant
quicquam valere; illa quod nimis pauca es-
sent, hae quod scriptis nondum peruul-
gatae, in paucorum chirurgorum memoria et
mutuis narrationibus continerentur. His
autem viginti annis ad mitiorem chirurgiam
defluximus, estque haec lenior medendi ra-
tio, quae inter exceptiones olim habebatur,
cum ipsis hodie legibus et praeceptis com-
municata, ita ut praecepta vniuersalia, et
exceptiones mutatis locis et partibus quasi
discessisse videantur. Etenim praecidere
membrum diffractum et collisum, in prae-
ceptis olim et legibus erat chirurgiae, seruare
illud in exceptione monebatur. Hodie vero
ratione inuersa seruare membrum collisum
chirurgia iubet, exceptis casibus nonnullis,
ubi sit praecidendum. Cuius exceptionis
etfi

etsi rarior est usus, salua tamen est auctori-
tas, qua vel labefactata vel penitus adempta
ipsa lex stare nequit. Etenim vel **BILGUERI**
argumentis nondum euictum est membro-
rum amputationem de **chirurgia** proscriben-
dam esse, in quo omnes consentiunt, qui
istam Viri Cl. dissertationem legerunt.

Qui vero nimis properant ad hanc chi-
rurgiam in ea praesertim opinione mihi esse
videntur, vt vulneris, suppurationis et alio-
rum malorum, quae amputationem sequun-
tur, nimis facilem credant sanationem, et si
a membri iactura discesseris, in nullum adeo
discrimen coniici aegrum sibi persuadeant.
Hoc si verum esset et vitae praesidium in chi-
rurgia tam facili certum contineretur, si ea
labes, quae praescisso membro infertur, ea
non esset plerumque peior periculosiorque,
cuius tollendae causa id ipsum opus suscipi-
tur, illa quorundam in hoc genere festinatio,
non adeo extimescenda esset, vel reprehen-
denda. Comparanti autem amputationis
ipsius et membri collisi periculum, et vtrius-
que periculi magnitudinem recte aestimanti,
facile apparebit certam vix esse in illa chirur-
gia spem, sed vnus periculi cum altero ali-
quam quasi permutationem.

Et primum quidem magna nascitur diffi-
cultas a sanguinis copia, qua post amputa-
tionem, arteriae praescissae truncus inundatur.
Eius enim pars aliqua repellitur in vasa vi-
cina,

cina, inde calor et febris, vel in ipfius membri trunco habetur atque confiftit, et in tunica cellulofa praefertim quiefcens truncum, vel inflat copia fua, vel putris factus atque corruptus, gangraenae opportunum reddit. Summum in tali cafu naturae beneficium pofitum eft in minorum arteriarum dilatatione, et in venarum reforbentium opera. Haec autem naturae vis in praefciffio membro nulla ratione poteft fufentari, fed omnium auxiliorum, quibus propter fanguinis profufionem, truncus membri carere nequit, ea eft natura, vt iftam arteriarum minorum facilitatem impediunt potius quam iuuent, et venarum aequae minifterium, fine quo fanguis copiofior affluens reduci nequit, vel cohibeant penitus, vel certe multum retardent. Nam fasciis opus eft atque vincturis, easque oportet eſſe paullo adſtrictiores. Trunci ſuperficie ſi lintea et panni obiiciuntur quamplurimi; partes molles his ſurſum adductae et retractae, labefactantur, laceſſunturque. Haec qui accurate perpenderit, quam ſit difficile intelliget fanguinis liberum circuitum, quo adempto bona curatio ſperari nequit, in trunco membri reſtituere, quod tali modo labefactatum atque compreſſum partis animalis et texturam et facultatem fere amiſiſſe videtur. Aequae impeditam eſſe oportet ſuppurationem, cuius et fontes fanguinis miſſione frequente exhauriantur, et motus deligatione peruer-

peruertantur. Sanguinis autem detractio neglecta, eiusdem profusio, inflammatio, febris et mors tandem ipsa metuenda est.

Aliter haec omnia se habent in membro fauciato atque colliso, in quo, etsi omnia videantur exitio proxima, aliqua tamen plerumque spes superest felicitis curationis, ea spe haud raro maior, quam praecisso iam aegri membro concipere possimus. Primum enim vasa praecipua libera sunt, atque integra, sanguinis circuitus etsi hinc inde impeditus sit atque peruersus, in toto tamen membro non cohibetur. Auxiliorum quoque locus est, quibus ille recuperetur atque sustentetur, eique si forte retardetur atque quiescat, exitus munitur incisione. Membrum tale, ut paucis dicam, nisi omnes partes molles dilaniatae sint, et ossa in fragmenta permulta collisa, animalis partis facultate utitur et quasi privilegio, quod contra fere euenire in membro truncato supra est a nobis declaratum. Suppurationis porro auxilia, et naturae et artis beneficio procurantur aptiora, quorum in trunci vulnere vel ab initio locus esse nequit. Nam nutrienti victu aeger potest sustentari, neque tantum sanguinis ei detrahere oportet, quia ipsa interdum febris, quam suppurationis ministram esse omnes norunt, idoneis medicamentis aliquando excitatur. Suppurationis quoque naturaliter melior est ratio, in membro licet misere vexato, quam
in

in trunco nitidissime praecisio. Etenim magna difficultas oritur ab ambitu vulneris circulari, quippe quod carnes tali sectione recissae magis lacescunt. Omnes autem incisiones, quae membro laeso infliguntur, seruata naturae via secundum longitudinem procedunt, quod et materiae intus collectae, et puris prouentui accommodatius esse nemo dubitabit. Et multi tandem persuasum habent cum Cel. SHARPIO, membrum si ab externo impetu labes orta sit, retardata gangraena vel sanatum, vel de corpore sponte separatum iri. Quodsi vero humores vitiiati vel soli corruptionem inducunt, vel ab externa causa iam natam augent, tunc inutilis plerumque est atque periculi plena membri praescisio.

Neque in humorum munditie, et vitae facultate certa semper boni euentus spes esse solet, nam in optima sanitate pereunt aliquando, quibus membrum collisum reciditur. Miles praecipue dignitatis vulnus in femore iuxta articulum inferiorem eo tamen integro manente, accepit a plumbea glande, qua os femoris grauiter contunderetur. Aegro omnibus iuuentutis ac sanitatis bonis florenti, prosperum amputationis euentum praedixit chirurgus, eamque aliorum auxiliorum, vel impatiens vel ignarus statim suscepit. Haec autem spes eum sefellit. Nam post violentam febrem gangraena peruasit aegrum
atque

atque interemit¹⁾. Qua de re cum felix huius auxilii euentus ne in optima quidem aegri sanitate certe possit praedici, neque certum semper mortis periculum in grauissima membri internectione praenuntiari, quod tot inexpectatae curationes docuerunt; humani est atque sapientis chirurgi non protinus ad ultimam medicinam deuenire, nisi statim ille prauideat membrum nulla diligentia posse seruari. Neque argumentum a tuto, quod aiunt, (si in

- 1) Quibus membra praeciduntur, eos sanitate vel maxime periclitari certum est. Etiam si vero, ut supra posui, magnum periculum oritur a sanguinis inundatione, hanc tamen nimis mihi extimescere videtur Cl. FAVRE, qui ita corpus existimat amputationi magis opportunum, ut exhaustum magis fuerit atque confectum. Inde illa viri cunctatio, de qua deinceps dicemus, v. FAVRE sur le Rétardement de l'Amputation, Prix de l'Acad. de Chirurgie T. VIII. Ed. m. p. 6. et CONTE Mem. in eodem Vol. p. 81 seq. cf. BAGIEU Examen de plusieurs Parties de la Chirurgie T. II. pp. 386. Nimis quoque hanc sanguinis, post amputationem in vicina vasa repulsi, copiam et vim nuper auxisse videtur Cl. DAVID in Recherches sur la manière d'agir de la Saignée 1762. p. 277 seqq. Etiam si enim, quod p. 125 seq. dictum est, hac sanguinis inundatione febrem cieri haud negamus, plurimum tamen ad eam concitandam valere existimo irritationis ac doloris stimulos in tanto vulnere acerrimos. Legi de hac re meretur FABRE, Essais sur différents points de Physiologie etc. Ch. IX. p. 151. seqq.

si in tanto periculo illi locus esse posset), multum hic esset valiturum. Nam vel exiguam vitae spem certissimae membri iacturae, (in qua ne illa quidem spes certa esse solet), anteferendam putamus. Verum quidem est, eam chirurgiam multo diuturniorem esse atque crudeliorem, qua membrum seruatur, quam illa qua praeciditur. Sed acerbissimi doloris sensus spe lenitur et tempore tandem extinguitur, quin imo periculi superati recordatione, et membri iam desperati reddita integritate, in perpetuam aegri voluptatem conuertitur. Membri autem iactura, et misera corporis mutilatio, totam hominis vitam acerbitate quadam imbuunt, ipso vitae ac sanitatis fructu non demulciendam.

His tamen argumentis, ad chirurgiae apud caeteros homines ignominiam haud abutendum est, quod fecisse nobis videtur IO. ULR. BILGUER²⁾). Est enim haec immanitatis nota
inusta

- 2) In Diss. cit. Gallice eam vertit notisque suis ornavit Venerandus TISSOT (Dissertation sur l'inutilité de l'Amputation.), in quo Viro humani generis amantissimo, nimium forte illud aduersus hanc chirurgiam odium, displicere nequit. BILGUERI sententiam coeco, ut nobis videtur, impetu amplexus est ULR. CHR. SALCHOW: *chirurgische Beobachtungen*. Contra BILGUERUM scripsit DE LA MARTINIÈRE, Praef. Acad. reg. Chir. Paris. Sur le traitement des playes d'armes à feu. Mem. de l'Acad. T. IV. P. II. Ed. m. p. I seqq. Optime, quoque ista BILGUERI argu-
mente

inuista Chirurgiae, sanguinis profusione, recidendis membris et adurendis, cultores eius et magistros vnice delectari; ita vt diuina ars pro rudi ac crudeli laniena a plerisque habeatur. Inde metus eius atque contemptus nostrorum hominum animos obsidet summus, quem eximere potius atque auertere, quam iniicere vel augere chirurgum decet. Et perquam facile est eum vituperare, qui membrum reciderit, dum dicas illud potuisse seruari. Aequè facile reprehendas eum, qui membrum dum seruare studet, naturae beneficio destituitur, dum dicas, aegrum seruari potuisse, si protinus ultimo auxilio fuisset subleuatus. Nam tota illa de membris, vel seruandis, vel praecidendis disputatio, in probabilitatis quodam iudicio et sensu versatur, in quo, quid ratum sit in homine atque definitum, Deus aliquis viderit. Praecipit Chirurgiae disciplina membrum recidere, eius seruandi spem facit obseruatio. Et inuersa ratione iubet interdum disciplina membrum tolerare, quod praecidendum esse vel aliorum experientia iubeat, vel singularis aegri conditio suadeat. Fluctuat inter praecepta et obseruationes chirurgi animus, et quod pessimum est, fluctuat plerumque inter praecepta diuersa, interque obseruationes diuersas,

I 2

fas,

menta diluit Ven. MORAND, Examen d'un Ouvrege de Mr. BILGUER, in Opuscules de Chirurgie 1768. p. 232 seqq.

fas, auctoritate et verisimilitudine vtrinque pares. Quae cum ita sint parum in tali causa valet legum e disciplina petitarum vis; plus valet ingenium, cuius interno quodam sensu ac iussu ducimur, rationis clara luce destituti. Principis arteriae vulnus, gangraena, fractura grauis, vltimum auxilium neque semper, neque protinus exigunt. Est tamen omnium grauium malorum, quae membris accidunt, modus quidam ac finis, vltra quem, sine amputatione, vitae spes consistere nequit. Hoc vero membri periculum illamque spem, facilius est in singulo ac praesente malo internoscere, quam generali praeepto aestimare.

I. *Si membri cuiusdam princeps arteria sauciata est, nisi protinus ea post acceptum vulnus comprimatur, membrum praecidi debere, recte quidem PATER meus praecipit §. 436. Neque post PATRIS mei aetatem haec lex fuit abrogata, quam labefactare nuper studeret BILGUERUS, ridiculum existimans, sanguinis cohibendi causa membrum abscindere³⁾. Non sufficit ibidem sanguinem vinculo continere, sed eius quoque circuitum liberum seruare oportet, quo intercepto calor in toto membro extinguitur. Neque aliter sentit Cel. nuper HEISTERUS⁴⁾, qui eo ipso in loco, quem suae opinioni fauere BIL-*
GUERUS

3) §. 35.

4) *Institut. Chir. T. I. P. II, C. XVII.*

DUVERUS existimat, protinus iussit membrum tollere. Humeralis arteriae in ipso eius summo trunco sauciatae, facilis BILGUERO⁵⁾ videtur curatio. In illa autem facilitate mirum est sane Cl. Vitum, et propria et aliena abundantem experientia, ne vnum quidem talis curationis testimonium attulisse, quod spem illam confirmaret, neque medendi rationem proposuisse, quam caeteri intuerentur. Etenim in supremo loco arteriam devincire, servato sanguinis motu, hoc maius profecto est, quam quod a chirurgiae artificio possit sperari. Quando vero non in summo trunco arteria sauciata sit, vel in summo humero in duos illa ramos diuidatur, vel plaga angusta putetur, aneurismatis chirurgiam experiendam esse, nemo ante BILGUERUM ignoravit.

Idem quoque de inferiorum artuum vulneribus sentiendum esse arbitramur. Quae si ad principem arteriam *cruralem* penetrarunt, mors in propinquo est. Sperat interim BILGUERUS⁶⁾ in crurali arteria fore, ut vicina vascula deligato trunco multum amplientur,

I 3

quae

5) §. 35. Illos quidem ramulos, summo trunco a latere emergentes, multum ampliari haud ignoramus. Neque PATER meus hoc ignoravit Instit. Chir. §. 436. cf. HALLERI Icon. Anat. Fasc. VI. p. 19 seqq. Not. ad §. 45. MORGAGNI de Caus. et Sedd. Morb. Ep. L. Art. VIII. Horum vero incerta est origo et perquam difficilis exploratio.

6) §. 35 et 36.

quae spes et inanis nobis et plena periculi esse videtur. Etiam si enim de cruralis arteriae vulneribus narrationes passim reperiuntur, quae spem illam confirmare possint atque augere; illae tamen non ad principem arteriam, sed ad *profundum femoris* pertinent, quod in illo LAUR. HEISTERI ⁷⁾ exemplo manifestum est. Nimis multum etiam ab istis vicinis ramis sperat ANT. NIC. GUENAULT ⁸⁾. Huic tamen spei locus est in arteria *poplitea*, cui magna intercedit cum *tibialibus* necessitudo, quam a Cel. olim HEISTERO ⁹⁾ observatam, accuratius nuper exposuit Perill. v. HALLER ¹⁰⁾ et ad hanc ipsam
chirurg-

7) v. HEISTERI Diff. de vulnere arteriae cruralis feliciter curato in HALLERI, Collect. T. V.

8) GUENAULT, An crurali arteria vulnerata ab amputatione auspiciandum in HALLERI Collect. T. V. Celeberr. HUNTER de arteriae femoralis aneurismate feliciter sanato exemplum nuper retulit, in the Medical Inquiries and Observations by a Society etc. T. III. Art. XII. Duo vero de hac narratione sunt monenda; primum, an princeps arteria sauciata fuerit, haud satis constat; deinde. vultusculum valde angustum fuisse ex eo patet, quod illud per tres menses, ante susceptam aneurismatis chirurgiam, fuit toleratum. In plaga tam exigua instrumenti acuti cuspede inflicta, etsi sanguis sub cute sensim colligatur, aneurismatis curationem experiendam esse haud negamus.

9) Diff. de genuum structura et morbis, Helmst. 1744. §. 83.

10) Icon. Anat. Fasc. V. p. 31. 38. 39. Cf. MORGAGNI l. c. Ep. L. Art. IX.

chirurgiae spem accommodavit. Propter similem quandam conpirationem *sibialis* arteriae vulnera, quae periculosissima esse solent, possunt interdum deligari. Et in utroque exemplo aneurismatis chirurgiam tentare solebat Celeberr. MOREAU, Venerandus Praeceptor.

Plerumque vero satius est membrum praecidere, idque si fieri oportet, vel hic certe protinus faciendum. Si aeger corporis robore et sanguinis munditie floret, si nec stupor illum tenet, et sanguis post primam deligationem aliquantum conquiescit, tunc membri servandi spes aliqua superesse videtur. Vbi autem arteriae plagam, membri et ossium praesertim collisio concomitatur, et mala statim se produnt symptomata, ubi sanguis saepius et impetuose reuertitur, tunc ultimum auxilium est membrum recidere.

II. *An propter gangraenam debeat haec chirurgia tentari?* vexatissima quaestio est. Multi sunt, qui gangraenae retardationem sperantes, naturae beneficium expectandum putent. Huic spei plurimum tribuit Cel. SHARP¹¹⁾, quam fere inanem existimat Cl. BAGIEU¹²⁾. Causae tamen et malorum so-

I 4

ciorum

11) A critical Enquiry in to the presente State of Surgery p. 277.

12) Examen de plusieurs parties de la Chirurgie T. III. p. 665 seqq. SHARPII sententiam confirmant illa exempla a Cel. BOUSSEK commemorata

cionam habenda est ratio. Quando, sine externa laesione, ab interna humorum peruersitate gangraena nascitur, contingere interdum solet, ut malae materiae vis latius serpere prohibita in certis membri finibus coerceatur. Id si incidit, membrum quandoque viciatum a sanis partibus, naturae quodam impetu et iussu secedit, cuius generis narrationes innumerae reperiuntur in obseruatorum monumentis. Si gangraena sclopetorum vulnera grauiora et ossium fracturam sequitur, tunc non ex gangraenae ratione, sed ex vulneris et fracturae vel spe, vel periculo, amputationis necessitas debet aestimari. Miror itaque **CEL. POTTIUM** ¹³⁾, chirurgorum inter An-

glos

- morata Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. III. p. m. p. 141 seqq. Pnetiam hic Lipsiae vidit **LUDWIGIUS** noster, quam, utroque in pede, frigore tacto et ineptis remediis emortuo, gangraena peruaderet. Chirurgum ad ultimam chirurgiam statim paratum **CEL. SHARPII** adhortatione, ab hoc consilio repocat **LUDWIGIUS**. Uterque deinde pes paullo post sponte cum fragore excidit. Similis narratio extat in *Journal de Medicine* T. XI. p. 37. Foeminae integer pes, retardata gangraena, ex genu articulo sponte excidit. Cf. *Journal de Medicine* T. XVIII. p. 504. ubi plura exempla commemorantur de hac retardatione, in epidemica gangraena obseruata. leg. 10. **HERM. FURSTENAU** Diss. de brachio sphacelato spontanea natuae vi ab integro reliquo corpore separato, Rintelii 1754.
- 13) Remarks on fractures and dislocations 1768. p. 73. p. 106.

glos facile principem, iussisse nuper, ad hanc chirurgiam properare, vbi gangraena collisis ossibus superuenerit. Etenim recte ad hanc viri legem monuit TH. KIRKLAND ¹⁴⁾; non illud tantum gangraenae genus, quod ab interna causa nascitur, retardari, sed acque hoc naturae beneficium illi generi contingere, quod ab externa quadam iniuria proficiscatur. Memores praeterea hoc loco esse oportet lectores nostros, omnem fere gangraenam, quod supra ¹⁵⁾ posui, ab interna causa et moueri et gubernari, et eam, quae post externam iniuriam accedat, ab vniuersa humorum conditione pendere cordisque et totius vitae facultati esse subiectam: Si humorum puritas et vitae robur sauciato contigit, summa spes est fore, vt gangraena vel auertatur, vel certe retardetur. Quod si contra impuritas totum sanguinem contaminauit, et princeps illa corporis facultas, morbi diuturnitate et vi, nimis iam fracta est atque debilitata, membrum praecidere haud conuenit, ne aegrum, quem sinere mori debebamus, occidisse videamur. Quando vero ossa penitus

I 5

diffracta

14) Observations upon Mr. FOTTS general Remarks on fractures by TH. KIRKLAND 1770. p. 8 seq. Minus recte etiam de gangraenae externae retardatione desperare videtur Cel. RAVATON Tr. de Playes d'Armes à feu C. XIX. Multa eam experientia compertam habet Cel. GOOCH v. KIRKLAND l. c.

15) v. Supplement. IV. p. 109.

diffraeta sunt, tunc non propter gangraenam, sed propter fracturam membrum abscinditur. Si a sanguinis profusione et nata inde virium defectione gangraena inducitur, tunc, etsi iam totum membrum emortuum videatur, ciborum nutrientium et corticis Peruuiani beneficio naud raro vel auertitur labes, vel certe lenius serpere cohibetur. Experientia tamen docuit, in pedis extremi, et manus fractura grauiore, illud retardationis beneficium rarius contingere.

At malum serpit et sanas partes in perniciem trahit. — Hunc vero metum, qui omnium fere animis insidet, ne dixerim inanem, nimis magnum esse credo apud plerosque chirurgos. Male hoc loco afferuntur funesta nonnullorum exempla, qui amputationis illud scilicet beneficium, vel recusantes vel nimis tarde a chirurgi consilio et manu impetrantes, in vltimam perniciem coniecti fuerint. Ita v. g. relatum legimus a Cel. olim DE LA MOTTE¹⁶⁾, mulierem, in perniciosissima pedis gangraena, contempta chirurgorum adhortatione, amputationem pedis repudiasse, serpente autem deinde malo, ab alio chirurgo eandem in femore passam fuisse paucis diebus lethalem. Etenim in hoc exemplo dubitandi semper locus relinquitur, amputatione an seruata fuisset aegra, quae ab initio eam recusaret et gangraena tandem vel tardiore

16) *Traité complet de Chirurgie T. III. p. 358.*

diore chirurgia interimeretur. Quot bone Deus! in ipso opere vel paullo post moriuntur! Alii amputatione peracta, ipsa gangraena, cuius auertendae causa illa suscipiebatur, tandem interficiuntur. Neque enim vigente gangraena, qui sint futuri limites mali ac fines, certe potest, vel ab exercitatissimo chirurgo, definiri. Quodsi ergo eo in loco membrum praeciditur, in quo clandestina pernicius delitescit, tunc gangraenae vis non retardatur, sed acuitur, et ad alteram tandem, si bene omnia successerint, amputationem est deueniendum. Accedit, quod membro praeciso noua febris accenditur, quae sola potest gangraenae malignitatem de humoribus nostris excutere, quidni praesentem et in aperta iam pernicius versantem, fouere atque sustentare.

Ex his colligitur, vel propter gangraenae periculum, nisi princeps arteria laesa sit, vel aliae rationes id exigant, ad hanc chirurgiam non protinus esse deueniendum. Etenim ista plerorumque opinio, (nam in hac summa nititur huius quaestionis), accuratius examinanda nobis videtur, ne dicam abiicienda, extrinsecus gangraenam serpere, suaque malignitate sanas partes inficere atque contaminare. Serpere gangraenam atque latius manare, quis negauerit? Vtrum vero, quod plerique sibi persuadent, externo quodam hoc fiat contagio, an malae materiae ad vexatam partem

partem delatae incremento, nondum, vel mihi, confectum esse videtur. A celeritate vulgo petitur contagii argumentum, cui quidem parum roboris inest. Etenim aequè celeriter haud raro progreditur ea gangraena, quae ab interna causa profecta externo contagio destituitur¹⁷⁾. Quodsi tamen in hoc etiam exemplo quis putet, externae pestis adflatur quodam sanas partes contaminari; et ratione et experientia haec opinio destitueretur. Nam ut omittam, nullum gangraenae finem esse futurum, si contagio manaret, id maxime volumus hoc loco in memoriam revocare lectoribus nostris, omnia fere mala, quae ab interna perversitate ad externas sedes deferantur, et in quibus nulla possit contagii vis agnosci, a parvis initiis intrescere, nisi que internae malignitati occurratur, latius manare, neque prius cessare materiae proventum, quam donec tota ea, quae iam de sanguine excutitur, exhausta sit, et ad affectum locum congregata. Latissime hoc patet in inflammatione et abscessu. Haec enim genera, sensim effuso in tunicam adiposam sanguine vel pure, late undiquaque manant, ut contagium adesse credas, tandem vero exhausta inflam-

mationis

¹⁷⁾ Ut de innumeris exemplis unum afferam, SWITENIUS virum aetate prouectiorem vidit acuta febre decumbentem, cui vnus noctis spatium totus extremus pes, gangraena occuparetur, v. *Compend. T. I. ad Aph. 253.*

mationis vel suppurationis materia; sponce
desinunt, et in definiti ac circumscripti tumo-
ris angustiis continentur. A leuissima denique
iniuria extrinsecus admota, gangraenam ali-
quando inuadere, et quam celerrime manare
videmus. Hanc autem celeritatem an ab ex-
terno contagio repetamus? Quis non intel-
ligit, dolorum stimulis febrem accendi, et in
latebris antea delitescentem perniciem, febris
impetu, in apertum exitium posse conuerti?
Quae cum ita sint, contagium externum,
etli non plane illud quidem in dubium voca-
verim, haud nimis metuendum esse, persua-
sum habeo¹⁸⁾.

111. *Si vel glandis ictu vel alia vi ossa et
imprimis iuxta articulos diffracta sunt et valde
collisa, de amputatione instituenta decernere
difficilima res est. Nimis vel in hoc exem-
plo, PATER meus ad hanc chirurgiam pro-
perasse videtur §. 184. ossa collisa nimis exti-
metcens et a leniore chirurgia parum auxilii
sperans. Erat autem hic metus communis
olim paene omnibus illius aetatis chirurgis, eo-
que et hodie nonnulli tenentur. Superiori-
bus quidem saeculis in leniore chirurgia, et
spes*

18) De adolescente narratio legitur apud MOR-
GAGNUM, cui post leuem fracturam immanis sta-
tim gangraena superuenit, quae a summo femore
descenderet duorumque dierum spatio ad plan-
tam pedis usque manaret. v. MORGAGNI L. C.
Ep. LV. Art. 22.

spes maior collocabatur, et maior industria. Ipse PAREUS, cuius ab ingenio et manu triste illud auxilium emendatum accepimus atque perfectum, eo nunquam protinus abutebatur, eratque in ossium sclopeto collisorum curatione diligentissimus atque felicissimus, ita ut excellentissimi quique imperatores, et principes viri, ipsique Galliae reges, atrocissimorum vulnerum periculum contemnerent, dum in castris, vel in obsidione PAREUS exercitum sequeretur. Illo enim tempore lenissimis fere sclopetorum vulneribus, laesi milites interimebantur, propter summam chirurgorum hebetudinem, qui membra, quae servare propter ignorantiam non possent, ne praecidere quidem, apte didicissent. PAREUS itaque utramque chirurgiam, et leniorem illam et efficacior emendavit, in illa diligentissimus, in hac temperantissimus prudentissimusque. Sub imperio Ludovici XIV. cum Chirurgia et medentium ignavia fatisceret, et tonforum ac medicorum invidia, superiorumque contemptu oppressa iaceret, rarius quidem erat amputationis in Gallia usus, sed vulnerum collisorum curatio tota fere in linimentis et emplastris, et quae sunt aliae tonforum quisquilise, versabatur. Vergente saeculo superiore, cum chirurgia iterum coepisset emergere et inter vicinas artes caput extollere, elatior ea facta est dignitate ac splendore, et auctis quasi viribus et spiritibus audacior.

audacior. Magni itaque viri quidam cum diuturnam illam ossium collisorum curationem funestam plerumque esse intelligerent, (erat autem funesta non propter ipsam rei difficultatem, sed propter ineptam medendi rationem), contemta illa cunctatione, membra protinus praecidi satius putabant, quam propter incertam spem certiori hominem periculo exponi. Qui si PAREI exemplum fuissent secuti, non propter amputationis retardationem, sed propter ieiunam medendi rationem, plerosque aegrorum hoc vulnere genere perire, erant intellecturi. Hoc autem errore, qualis in humana imbecillitate facile contingere potest, decepti, de amputatione perficienda magis, quam de emendanda membrorum curatione cogitabant. Inde ultimam hanc chirurgiam in vulneribus sclopetorum et fracturis grauioribus imperarunt nuper paene omnes, qui et ingenio et manu inter chirurgos hoc saeculo inclaruerunt F. L. PETIT¹⁹⁾, H. F. LEDRAN²⁰⁾, LAUR. HEISTER²¹⁾, Cl. DUVERNEY²²⁾, et nuper PERCIVALL POTT²³⁾, aliique celeberrimi viri. Recentiorum vero quorundam chirurgorum experien-

19) Tr. des Maladies des Os C. XI. ad finem.

20) Sur les Playes d'Armes à feu, passim.

21) Institut. Chir. T. I. p. 175. P. I. L. II. C. I. §. 15. 18. et passim.

22) Tr. des Maladies des Os per Mr. DUVERNEY p. 27.

23) Remarks on Fractures p. 73.

experientia euictum est, membra misere dilaniata et collisa, posse plerumque natura duce et comite chirurgia, seruari. Hanc itaque recentiorum experientiam et humanitatem lectoribus nostris iam expromamus, partim, ut intelligatur, quibus forte in locis nimis parum sperarit PATER meus, partim, ut illa mitiora auxilia, quae sint, et quo modo instituuntur vsurpenturque, appareat.

Quibus medium os in fragmenta plurimum diffractum, vel iuxta articulum collisum est, etsi gangraena multum periclitantur, possunt naturae et artis ministerio sanari, cuius rei exempla paene innumera extant in recentiorum obseruatorum monumentis. Tribunus militum, maiore tormento bellico periculosissimum vulnus accipiebat in superiore humeri sede. Cum in fragmenta complura os humeri collisum chirurgi viderent, amputationem statim suscipiendam esse affirmabant. Quorum consilio aeger cum restitilet, mitioris chirurgiae beneficio seruatus euasit. Iuueni sanguinis bonitate solidarumque partium robore florenti optimo, plumbea glande vulnus in inferiore et posteriore parte femoris iuxta condylos infligebatur grauissimum. Os ad quatuor digitorum latitudinem collisum erat, et in fragmenta plura eaque magna diffractum. Sequenti die totum membrum grauer intumescebat, dolores erant in toto femore acerrimi; et cum his febris violenta.

Mirum

Mirum vel hic nemini videbitur, amputationem omnes proposuisse. Aeger autem fatius existimans sorte sua interim, quam incertam vitae spem, membri iactura impetrare, leniorem a chirurgis medicinam petebat. Tumores deinde varii iuxta locum collisum extollebantur, pus alentes copiosissimum. Quibus deinde incisis, fragmenta educebantur complurima. Interim externus membri habitus valde alienabatur, membrum totum intumescebat, et gangraena iam in limine conspiciebatur. Aeger tandem illud amputationis auxilium ipse flagitat, quod nunc illi recusat. Alui tandem fluxus, et lenta febricula secundo mense accedebat, quae omnem fere spem eriperet. Tertio mense in superiore et interiore femoris parte magnus tumor nascebatur, quem alii deinde tumores sequebantur. Interim tamen suppurationis beneficio, omnia haec mala tandem conquieverunt, et aeger pristinam sanitatem cum qualicumque membri usu recuperavit.

Interim tamen fatendum est, femoris vulnera grauiora et valde collisa, difficilius plerumque curationem recipere, quod Celeb. RAVATONI et aliorum experimenta docuerunt. Potest autem haec difficultas a variis oriri causis. Primum enim, in medulla maximum sanationis auxilium collocari, nemo ignorat. Atqui haec in femoris osse, tenuis fere et liquida, nec in loculis durioribus,

qui caeteris huius generis ossibus contigerunt, continetur, sed libere fluctuat in ossis tubo, ex quo propterea facilius possit effluere. Hoc autem tali ratione exhaustum, et vnico illo sanationis praesidio destitutum, alienatur. Deinde in illa carniū circumiectarum mole grauissimum est, liberi in periosteō circuitus, impedimentum. Talia enim vulnera pressum non ferunt. Experientia quoque compertum est, os femoris, utpote durum et vitreum quasi, rimis atque fissuris, magis quam caetera, obnoxium esse, easque propter hanc ipsam ossis naturam, longiores plerumque et asperiores deprehendi. Quodsi vero sine vulnere hoc os perfractum est, facillime quandoque sanatur. Interim tamen haec vulnera, licet grauissima, curationem recipiunt, dum chirurgi industria, sanitate aegri ac regimine sustentatur. Quae cum ita sint, femoris vulnera, quae sunt cum grauiore quadam ossis fractura, minus recte, a Celeberr. FAURE ²⁴⁾ ad illud genus referuntur, quod amputationem statim exigit.

Neque

24) v. Prix de l'Academie de Chirurgie T. VIII. ed. 8. cf. LE CONTE ibid. p. 88. De femore iuxta superiorem articulum colliso et feliciter seruato exempla retulerunt PAREUS de vuln. sclop. C. XII. Opp. Ed. Erf. p. 346. BAGIEU Examen des plusieurs Parties de la Chirurgie T. II. p. 478. 485. 493. BOUCHER Mem. de l'Acad. de Chirurgie T. II. P. II. p. 283 seq. cf. BILGUERUS in Diss. laud.

Neque tamen commemorasse sufficit, posse in tanta vulnerum atrocitate membra fervari, sed quibus auxiliis hoc perficiatur, aperiendum. Statim vero monendi sunt tiro-nes, praestantius auxilium haec mala non ha-berere, quam a sanitate aegri eiusque regimine. Neque tamen propter liquidorum immunditi-
em, vel solidorum infirmitatem, omnis spes abiicienda. Virum vidi triginta et quod ex-currat annos natum, ictero saepius obnoxium, faciei liuore, orisque grauitate, summam per-uerfitatem humorum prodentem, cui pedis extremi vulnus, propter multitudinem frag-
mentorum in optima sanitate periculosissi-mum futurum, feliciter sanaretur. In auxiliis autem indicandis, praetermissis quae PATER
meus passim in Capp. de vulneribus sclopeto-
rum, et de ossibus fractis imperauit, in iis me iam continebo, quae illis in locis desideran-
tur. Pauca primum de incisionibus monen-
da sunt. Si duo illa foramina, quae plumbea
glans permeauit, parum distant, alienae sunt
incisiones longiores. Metus enim est, ne sic
elabatur ossis medulla, qua nihil est ad glu-
tinandam ossis plagam accommodatius. Si
glans de vulnere suo iam impetu exiuit, inci-
sionibus, in humero et femore, haud semper
opus est. Vbi autem fragmenta paullo pro-

K 2

fundius

laud. Nimis, vel in hac causa, meticulosus esse
videtur Cel. RAVATON Chirurg. | d'Armée
C. XXVII.

fundius delitescunt, et partes circumiectas male habent, tunc oportet vulnus multum ampliari. Videndum itaque semper, antequam ad incisiones deueniatur, firmiter offi adhaereant fragmenta, an laxe. Vbi enim illa adhaerent, non decet ea, praesertim si asperitate non adeo vrgent, vi auellere, quod PATER meus praecepit §. 488. et multi faciunt, sed conuenit naturae hoc opus relinquere. Incisionibus itaque profundis parum leuaminis tunc aegro adfertur. Etenim fieri plerumque solet, vt eae coalescant, antequam fragmenta, quibus exitus muniri creditur, exiuerint. Maximum hic auxilium sperari potest, a naturae beneficio, quae incensa febre et inflammatione, collectoque in iis sedibus pure, hanc fragmentorum separationem machinatur.

Praepostera autem incisione pus euocatur, quod intus retentum, plurimum valet ad mollienda ossis fragmenta et labefactanda. Inde abscessus ad locum affectum nati, in bonis signis habendi. Illi autem fouendi sunt et leniendi, non perturbandi exacerbantique. Noxia sunt, vel certe parum proficua, emplastra illa, magni vsus sunt cataplasmata molliencia, quibus et dolores leniantur et spasmi sedentur. Vbi autem abscessus haud statim oriuntur, tunc expedit incisio mollibus partibus inflammationem ciere; idem quoque conuenit, si fragmenta iam vacillant, vel in
carnibus

carnibus delitescunt. Non autem cutis tantum, sed ipsa caro incidenda; quodsi enim inuolucra tantum dissecantur, metus est ne his retractis carnes comprimantur. Sic autem tumidiores redditae, foras quasi erumpere gestiunt, qua re inflammationem exasperari probabile est. Incisiones tamen haud dignis longas esse oportet, si tendines fauciati fuerint. Hi enim aeris vim non ferunt, cuius adflatu corrumpi eos, experientia docuit.

Plerique, sicuti a PATRE meo praeceptum est, in educendorum fragmentorum et peregrinorum corporum necessitate, illum ipsum vulneris hiatum, per quem vel ictus vel glandis impetus intrauit, scalpello diducunt, vel coniecto in vulnus scalpello recondito, (*bistouri à contre-ouverture*), in aduerso latere plagam efficiunt, per quam ea, quae intus haerent, extrahantur. Multis autem hodie vidi hanc rationem displicuisse. Quodsi enim glans in sede ab externo vulnere admodum remota quiescit, tunc aequè inutile est diducere vulnus, ac producere. Vt enim omitam, quod ab hoc loco alienum est, plures hodie chirurgos, simplices et leniores sclopetorum plagas, vbi nempe glans' partes molles permeauerit, sine incisione sanare didicisse; fatius est, vulnus quod glandis eximendae causa infligatur, eo loco infligere, qui corpori peregrino est proximus. Etenim solet interdum glans, pro vario et laesi

et laedentis situ, oblique ascendere, aut descendere, interdum facto quasi circuitu, a recta via delirare. Accidit hoc, dum ossa vel aliae partes glandi renituntur. Communis est plerorumque error, glandem non repelli, nisi ab ossibus, quos legant velim nuperas *Cel. VACHER*²⁵⁾ observationes, quibus euidetur est, non ossa tantum, sed molles etiam partes glandi resistere, eamque tanta interdum vi repellere, ut ossa ipsa perfrangantur. Cuius rei memores esse oportet chirurgos, ne ex meatu vulneris, vim eius omnem diiudicari posse sibi persuadeant. Os autem perfractum esse, periculosissimum est ignorare. Si vel bellici instrumenti, vel alio impetu os perfractum est, atque de sede sua dimotum, illud statim reponendum esse, nemo ignorat. Quodsi vero hic opus est incisione, ea quidem haud protinus est facienda, sicuti a plerisque praeceptum legimus, sed conuenit membrum antea extendere, et os, quod luxatum est, in sedem suam dare. Erat haec olim *PETITI*²⁶⁾ ratio, incomparabilis
Viri,

25) Sur quelques particularités concernant les Playes d'Armes à feu. Mem. de l'Acad. T. IV. P. II. p. 51. Glandes non ab ossibus tantum, sed a mollibus etiam partibus repelli posse, iam dudum ante *Cl. LE VACHER* obseruauerat *Cl. LE DRAN* Sur les Playes d'Armes à feu p. 43. De his glandium ambagibus legendus est *BAGIEU* l. c. T. I. C. I. II. III.

26) Tr. des Maladies des Os T. II. p. 289:

Viri, cuius ingenium atque dexteritatem pauci Gallorum aequarunt, superavit nemo. Facile autem intelligitur, et acerbiores fore extensionis dolorem, et maius periculum, si membrum, quod incisionibus iam fauciatum est, trahatur torqueaturque; deinde ad facilitatem et fructum incisionis, multum in unum confert naturalis partium situs.

Maxima difficultas oritur, si os aliquod medium et transversum ita perfractum est, ut iam secesserit a se inuicem, et propter fragmentorum, in utraque area aduersa eminentium, asperitatem, conglutinari haud possit. Si femori vel caeteris membrorum ossibus hoc ea quidem in sede accidit, ubi multam carnem circumfusam habent, nullam haec res curationem recipit. Quod si vero tibia, vel radius tali ratione fractus est, potest quandoque membrum seruari, ratione fere tali. Carnibus, quemadmodum in amputationis chirurgiâ fieri solet, circumsectis, rodendum est periostium, et os, quantum fieri potest, nudandum. Tunc ferrula, ossis pars quae vitata est, et collisa, media reciditur. His peractis, aduersae ossis partes adductae et fasciis confirmatae, coalescunt. Quae chirurgia, etsi dolore atque diuturnitate ipsam superare videtur amputationem, huic tamen propter membri seruandi spem semper anteferenda est. Hanc medendi viam proposuit Cel. PETIT²⁷⁾,

K 4

verum

27) Tr. des Maladies des Os T. II. C. XV.

verum ipse nunquam tentauit. Interim tamen feliciter ea cessit Cel. BAGIEU²⁸). Viro nobili, prouectioris aetatis, vtrumque os iuxta articulum perfrangitur, vt tibia de fede sua dimota antrorsum ferretur, et a fibula diduceretur. Tibiae fragmentum pedi infixum latebat, quo etiam vaginae ligamentorum, ac tendines valde lacefferentur. Os tali ratione luxatum, reponi cum nulla ratione posset, magnusque tumor cum summa dolorum acerbitate extolleretur; ad amputationem deueniendum esse omnes existimarunt, quam ipse adeo aeger a chirurgis flagitaret. Ad quod opus dum hi se accingunt, ecce aduenit Cl. BAGIEU, et non membri, sed illius fragmenti ossei amputationem suadet. Cuius consilio postquam aeger aliquantum testitisset, feliciter illud opus peractum est. Neque etiam aeger claudicauit, altero osse integro manente, pedemque sustentante. Quod reliquum est, de ossibus membrorum in media parte, et iuxta ipsum articulum collisis, innumerae

- 28) *Examen des plusieurs Parties de la Chirurgie* T. II. p. 443. Similis fere curationis exemplum legitur in HORSTII *Observat. Med.* P. II. L. IV. Obs. 10. Extat etiam de hoc genere observatio apud BILGUERUM §. 25. HEISTERUS, qui in tali causa statim ad amputationem deueniendum esse existimat, aegrum, si quis possit seruari, claudicaturum esse meruit, quod non semper contingere ex illa narratione a nobis commemorata patet.

merae extant obseruationes, quae ad leniorem chirurgiam nos possint inuitare, et a superiore illa statim experiunda, reuocare²⁹⁾.

IV. *Vulnera pedis extremi*, licet propter fragmentorum asperitatem, in ista ligamentorum, tendinum et vaginalium multitudine, periculosissima fere omnium habeantur, saepe tamen curationem recipiunt. Neque in praecipuorum adeo tarsi ossium vulneribus, ad ultimam chirurgiam statim properandum. Multas enim huius generis laesiones feliciter sanatas vidit Cel. BAGIEU³⁰⁾, videruntque alii exercitatissimi viri. Summa chirurgi cura in eo collocata esse debet, vt fragmenta protinus educantur. Illa enim in hac sede maxime sunt extimescenda, propter inflammationis periculum, et propter doloris violentiam, qua aegri haud raro conuelluntur. Pessimum

K 5

simum

29) De periculosissimis femoris vulneribus iam supra exempla commemoravi p. 146. Humeri et brachii felices curationes referunt RAVATON Chirurg. d'Armée Obs. 60. 61. 63. 64. BAGIEU l. c. T. I. p. 159. 176. T. II. p. 425. 474. BOUCHER Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 288. Varias quoque obseruationes leguntur in BILGUERI Dissertatione; De tibiae ac fibulae curationibus exempla memoria digna refert BAGIEU l. c. T. II. p. 441. BORDENAVE Mem. de l'Acad. T. II. P. III. p. 239. CANNAC ib. in eod. Vol. p. 174 seq. RAVATON l. c. Obs. 92 seqq.

30) l. c. T. I. p. 172. BOUCHER Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 307. RAVATON l. c. Obs. 102. 103 seqq.

simum est, si ossium vexatorum color multum alienatur, vel si gangraena pedem pervadit. Exigua etiam in pede spes relinquitur retardationis³¹⁾; nam febre gangraena exacerbatur, febris autem acuitur dolorum stimulis, qui propter tendinum laesiones summi et acerbissimi esse solent. Magnam etiam haec vulnera difficultatem accipiunt a puris quiete atque peruersitate. Multi enim sunt in pede extremo, propter ossium et articulorum multitudinem, recessus, multaeque latebrae, in quas purulenta materia se possit recipere. Neque artis auxilio illa potest commode educi. Etenim hae partes incisiones longas et profundas non ferunt, quae laesi ossis magnitudinem non debent superare. Cutis ipsa, quae paullulum adstrictior est, et propius quam in caeteris partibus tendinibus et musculis adhaeret, puris exitum impedit. Inde praeceptum legimus a Cel. LE DRAN³²⁾, externorum inuolucrorum quantum opus esse videatur, ipsamque vaginam musculorum scalpello auferre, et his tandem peractis, profundius carnes incidere, ut fragmentis et puri praesertim, liberior pateat exitus. Verendum tamen est, ne hac chirurgia tendines nimis, lacescantur, inflammatioque
et

31) In vulneribus collis pedis extremi gangraenae retardationem vix sperandam esse, supra ostendi.

32) Reflexions sur les Playes d'Armes à feu per Mr. LE DRAN p. 202 seqq.

et gangraena exacerbetur, quod fieri plerumque solet, dum mortuum, ut aiunt, a viuo separatur, sicuti superius a nobis expositum est.

In pedis extremi et manus vulneribus, quae sunt cum ossium fractura grauiore, in aduerso loco incidere, propter ligamentorum his ossibus interiectorum multitudinem alienum habetur. A qua lege discedendum esse Ccl. BAGIEU recte quidem monuit. Hic enim multa obseruatione edoctus, maximam horum vulnerum difficultatem a puris quiete nasci, viam puri patefaciendam esse existimat, facta in aduerso loco incisione, ad quam ille rationem suscipiendam ea praesertim cogitatione poterat incitari, quod vulnera pedis extremi, in quibus ossa tarsi vel metatarsi perfracta sunt, amputationi proxima a plerisque haberentur. Cum itaque aeger ei contigisset, cui os primum metatarsi, et calcaneum collisum erat, in inferiore et posteriore sede: primum, aditum vulneris superiorem ampliavit, deinde scalpellum in vulnus coniecit ita, ut apex eius de planta pedis emergeret. Facta est hac ratione fossa quasi, puris effluio accommodata, quae repetita sectione diduceretur, iniectoque deinde setaceo aperta seruaretur. Non defuerunt, qui hanc Cl. Viri medendi rationem reprehenderent, cuius adeo felix esset exitus, ut membrum non ab amputatione solum, quam caeteri proposuissent,

sent, vindicaretur, sed integrum quoque et pristino vsui aptum redderetur. Quam Cl. Viri chirurgiam si qui velint tentare, memores eos esse oportet, non nisi in profundioribus horum ossium vulneribus eam locum habere. Caetera enim in aduerso loco incisionem vix exigunt. Quod reliquum est in his vulneribus, aliam ob causam interdum factius est, pedem extremum recidere, quam feruare. Vbi enim ossa grauitur luxata sunt, et in sedem suam compelli non possunt, vel claudicabit aeger, vel magna cum molestia incedet. Est enim cum distorto pede molestior incessus, quam cum arte facto.

V. *In articularum vulneribus, si apophyses perfractae, ligamentaue dilacerata, plumbea glande vel alio impetu sunt, membrum fere praecidendum esse PATER meus existimat (§. 485).* Summum periculum haec vulnera accipiunt a ligamentorum ac tendinum laesione. Hac enim febris incenditur, qua tumores, abscessus et sinus iuxta partem affectam moueantur. Qui si statim post acceptum impetum se manifestant, bene potest de membro sperari; sin gangraena cum emphysemate protinus erumpit, et phlyctenae in superficie membri disperguntur, tunc exitio illud proximum est. Plurimum interest, spem illam illudque periculum statim recte aestimare. Vbi enim membrum praecidi debet, id protinus faciendum, antequam vel gangraena

gangraena aegrum interimat, vel hectica febris conficiat. Spes nulla maior neque certior petitur, quam ab aegri sanitate, quam et Peruviano cortice, et, nisi aliae id rationes prohibeant, nutriente victu oportet sustentare. Larga olim et repetita sanguinis detractio, in praecipuis aduersus talia vulnera auxiliis habebatur, a qua ratione plerosque hodie video defluxisse. Metus enim est, ne cum sanguine tandem ipsa vitae vis profundatur, qua demta bona curatio sperari nequit.

Si humeri caput perfractum est, membrum inciso articuli ligamento demendum esse, plerique existimant³³⁾. Vbi autem glans vel alius impetus humeri caput permeauit, illud non semper in plura fragmenta frangitur, sed accidit interdum, ut glans per medium humerum, relicto meatu, erumpat. Maiorem hic oportet superesse vim commotionis in osse affecto, quam vbi apophysis in
fragmenta

33) In tali superioris articuli vulnere, membrum seruari posse, multae testantur observationes, v. B O U C H E R Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 302. R A V A T O N l. c. Obs. 58. In Obs. 69. militis exemplum commemoratur, cui tormenti bellici impetu totum membrum iuxta caput humeri auferretur. Caput humeri perfractum erat. Interim tamen illud in sua sede a chirurgo relictum, mala symptomata haud excitauit. Ex qua obseruatione luculentissima patet, propter caput humeri collisum non statim ad amputationem properandum esse.

fragmenta perfracta est. Inde maius hic etiam periculum subesse credebat LE DRAN ³⁴⁾, in hoc vulnerum genere quam maxime meticolosus. Interim tamen commotionis in univ-ersum non tanta nobis potentia esse videtur, in apophysibus ossis, quam in diaphysibus. Praeterquam enim, quod illae loculis conflatae, laxiorem nactae sunt fabricam; a medio osse vel diaphysi, quae dicitur, tantillum seiunctae esse videntur, non interiecto quidem interuallo, sed fabricae diuersitate. Incre-scente enim aetate, etsi cum diaphysi apo-physes conferbuerunt, remanere tamen pri-stinae separationis vestigia quaedam, sensibus quidem non internoscenda, a vero propius arbitramur. Inde si caput humeri ictum est, diaphysin eius, non adeo findi obseruatum est ab exercitatissimis viris. Ne condyli quidem impetum, semper cum diaphysi solent communicare ³⁵⁾).

Videndum porro est, in tali humeri vulnere, princeps arteria membri an fauciata est. Quod vbi accidit, sanguinis circuitu intercepto, calor omnis in membro extinguitur, attolliturque sensim a sanguine foras emisso tumor insignis, quem non oportet cum abscessibus illis a tali vulnere nasci solitis commiscere. Talis enim tumor, qui ab effuso sanguine

34) Sur les Playes d'Armes à feu p. 199 seqq.

35) Condylum externum femoris reliquo osse integro manente, collisum vidit RAVATON Obs. 88.

sanguine contrahitur, non circumscriptus est atque definitus, qualis in apostemate esse solet. Vbi vero his signis certum est, principem arteriam laesam esse, tunc protinus oportet membrum praecidere, antequam sanguinis profusione aeger interimatur. Propter fragmentorum asperitatem et multitudinem, de membro non statim desperandum, quam spem haud inanem esse, tot felices recentiorum curationes docuerunt. Omni autem studio in eo debet chirurgus elaborare, ut fragmentis et puri exitus detur. Incisiones esse oportet paullo ampliores, quantum in illa partium angustia fieri potest. Si caput humeri superius perfractum est, tunc liberior potest puri et fragmentis via aperiri. Vbi vero ictus inferiorem capitis humeri partem perripit, maxima oritur difficultas a puris et fragmentorum in abdito illo loco quiete. Tumor plerumque tunc solet iuxta musculum pectoralem maiorem extolli. Vbi itaque fragmentorum et puris in illa sede nascitur suspicio, expedit, incisus sub axilla carnibus, *ligamentum capsulare* ipsum aperire, (cuius vulnera nimis quidam extimescunt), quae ratio feliciter cessit RAVATONO¹⁶⁾. Huic incisioni vel maxime opportuna est ea sedes, ubi ex diaphysi ossis, periosteum exoritur, et in ligamentum capsulare abit, vel in ligamenti huius parte inferiore. Tali autem

63) l. c. Sect. II. Cf. Obs. 55.

autem ratione, si paullo inferius ligamentum capsulare inciditur, declivius quasi et commodiore via pus emanabit. Quaerenda est ea humeri pars, in qua tendines muscoli rotundi maioris et infraspinati annectuntur. Via autem puri tali ratione iam patefacta, ne nimis cito claudatur, immissa turunda molliore debet aperta servari. Reliqua curatio variis medicamentis absolvitur. De acrioribus, quae ex vario gummatum et spirituum genere parantur, metus est, ne glandulas *synoviales* laceessant, nimiumque ex iis humorem eliciant. Plurimum quoque confert, si membrum commodo situ continetur; quapropter collocari illud debet in capsam idoneam, ita ut manus et brachium paullulum attollantur, quo facilior sit sanguinis de venis redivus, in quo summum est, ad discutendos circa humerum tumores, praesidium.

Dum medius brachii articulus perfractus est, maius periculum, quam in humero subesse solet, cum propter aponeuroses, quae cubito copiosissimae circumfunduntur, tum propter tendinum apophysiumque asperiorum multitudinem. Neque tamen protinus debet membrum praecidi, quod plerique videntur existimare, sed mitior chirurgia semper est experiunda, nisi gangraenae repentinus incurfus id prohibeat. Interim tamen verendum est, ne amputatione in tanta mem-
bri

bri corruptione instituta, aeger trucidetur, quem gangraena esse moriturum, ne certe quidem potest affirmari. Ipse PAREUS, amputationis stator ac vindex, manum quantum fieri posset, ab hac chirurgia continebat, in articulo vulneribus grauissimis, quibus diligenter mederetur et feliciter. Hodie vero in leniore adeo articuli fractura, praeter vltimum auxilium, nullum superesse putant. Ad quam plerorumque opinionem euellendam nostra oratione, plus valituram esse existimamus PAREI³⁷⁾ auctoritatem, Cl. Comes, inquit — *in conflictu, manuario tormento cominus tam grande vulnus ad sinistri cubiti articulum accepit, ut fractis insigniter ossibus, multa, quasi malleo super incudem contrita et comminuta cernerentur. Hinc maligna pleraque symptomata*

37) v. Lib. de Vuln. Sclop. C. XII. in Opp. PAREI p. m. 346. Ipse Cl. RAVATON, grauiores cubiti laesiones nullam curationem recipere dicit. Quam etli haud semper bene succedere dixerim, in sano tamen praesertim homine experiendam esse putamus. Nimis etiam nobis in hoc genere proferare videtur CL. FAVRE l. c. Praeter illam PAREI narrationem, felicem eiusmodi fracturae exitum testantur innumerae narrationes: v. LE CAT Chirugi nuper Celeberr. Exercitat. in Prix de l'Acad. de Chir. T. I. P. I. p. 374 seq. BOUCHER l. c. p. 290. 293. 294. 299. 306. BORDENAVE Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. III. p. 240. 242. BAGIEU l. c. T. II. p. 419. 433. BILGUER in Append. Obs.

ptomata emersere, dolorum nempe acerbi et immanes cruciatus, inflammatio, febris, brachii totius ad extremos usque digitos tumor oedematofus et flatulentus, ac quaedam ad gangraenam dispositio. — Ego vero cum ingentem foetorem et putredinem animaduertirem, suasi ut lotiones ex aegyptiaco viribus aucto, et aceto in aqua vitae dissoluto, instituerentur, aliaque fierent, quae capite de gangraena fusius explicantur. Nam et diarrhaea aegro superuenerat, qua purulentam et foetidam saniem a brachio et vulnere manantem reddebat. — Crebra nobilem aegrum syncope inuadebat, tetrorum vaporum, ab ulceribus suscitatorum ad partes nobiles, translatione. — Tumorem oedematofum et flatulentum reprimere conabar, spleniis oxicroto imbutis. — Multi insuper abscessus ad articulum perque totum articulum erupuerunt, quorum materiebus ut exitum aperirem, nouas moliri incisiones coactus fui. — Vere hoc affirmare possum me pendente curatione, illi e brachio plusquam sexaginta ossium testulas exemisse et eximere necesse habuisse, inter quas una visebatur digiti longitudine. Dei tamen fauore superstes et incolumis euasit, caetera sanus, nisi quod contrahendi aut explicandi brachii non illi est libertas.

Neque de vulneribus, quae medio cruris articulo contingunt desperandum, si statim ab initio diligens eis atque exercitatus chirurgus contingit³⁸). Facilius interdum, quam illa

38) HIPPOCRATES iam tum intellexit, fracturas in
in medio

in brachio sanantur. Vbi vero post ineptam atque diuturnam curationem, ad amputationem tandem deuenitur, lethalis illa plerumque esse solent. Statim itaque accurate videndum est, capsulare ligamentum integrum sit, an discissum. Hoc enim si accidit, omni studio in eo chirurgum oportet elaborare, ut pus a ligamento capsulari et ab articuli praesertim cauitate, auertatur; quoniam illo intus putrescente ligamentum et ossa exeduntur; nam apophyses ossium cariei facile fiunt opportunae. Quapropter ante omnia videndum, an forte ligamentum capsulare, propter materiam intus collectam debeat aperiri. Illud in sede inferiore fieri debere, supra est a nobis declaratum.

In his autem articulorum vulneribus prima illa et praecipua curatione peracta, auertenda est, quantum id mali ratio permittit, ankylosis. Verum quidem est articuli contractum in grauioribus vulneribus, vbi vel de ligamentis vel apophysibus ossium aliquid demtum sit, vitari nulla ratione posse. Interim tamen in leniore membri valetudine talis haud raro nasci solet rigiditas ex nimia quiete, et si membrum nimis diu in canaliculo continetur. Quapropter non membri tantum, sed totius corporis lenior exercita-

L 2

tio

medio cruris articulo, illis quae cubito contingant, esse tolerabiliores, v. de Fractis Sect. VI. in Opp. T. II. p. 45. Ed. FÖRSTER.

tio aegris imperanda, quibus et propter alias rationes, diuturnus et perpetuus in lecto decubitus nocet. Si brachium perfractum est, debet aeger et potest in puro aere deambulare. De carpi vulneribus, caeterisque membrorum laesionibus, quae amputationem exigere videantur, non est adeo, quod seorsim disputemus.

VI. *Propter membri commotionem et stuporem* an differenda sit amputatio, iam breviter videamus, quod miror a PATRE meo praetermissum esse. Si globulus de bellico instrumento maiore explosus, membrum aliquod permeavit, stupor insignis illud interdum per aliquod tempus tenet. Nasctur hic a valida commotione, quam aeris explosi vis et globuli impetus efficiunt. Recte olim PAREUS⁹⁹⁾, hanc sclopetorum vim cum fulminis ictu comparavit, ut a nervorum hebetudine, quam illa vis inducat, gangraenam repeteret. Etenim PAREI temporibus virus aliquod pyrio pulveri, vel natura sua inesse, vel arte immisceri a plerisque credebatur, propter funestam horum vulnerum interticionem. Ille autem haec mala, quibus talia vulnera opportuna esse solent, et quae caeteri a venenata quadam malignitate proficisci existimarent, a commotione ac stupore primus,

99) De Vuln. Sclop. collifis Opp. L. X. p. 524. De vi commotionis cf. LE CAT Prix de l'Acad. de Chir. T. I. P. I. p. 344. FAVRE l. c.

primus, quod ego sciam, ducenda esse intellexit. In caeteris fracturis, quae alio ictu vel impetu fiant, talis stupor nunquam contingit, inde quoque in HIPPOCRATIS libro de fracturis non animaduersus. Neque omnia vulnera sclopetorum, commotio sequitur, sed ea tantum, quae maioribus tormentis bellicis infliguntur.

Maior esse solet huius commotionis vis in diaphysi, quam in articulis ossium. Minor est in capite, quam in condylis membri. Inde condyli femoris vel humeri, integro reliquo membro haud raro perfranguntur, quod etiam icto superiore articulo ita contingere, supra est a nobis declaratum⁴⁰⁾. Etenim vel exigua sclopetorum vulnera, quibus medium os leniter perfrangitur, in summum quandoque vitae discrimen aegros adducunt; quod recte obseruatum est a Cel. BORDENAVE⁴¹⁾, Eruditiss. et Exercitiss. Chirurgo, propterea quod membro concusso, neruorum ipsiusque cerebri facultas suffunditur. Maxima est in hoc stupore, quod alibi diximus, ad gangraenam opportunitas. Neque tamen omnes aegri, commotionis vim experiuntur. Quos vero illa tenet, et ad sensum et ad ipsum adeo dolorem hebescent, et attoniti quasi iacent. Refert

L 3

Cel.

40) p. 158.

41) Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. III. p. 219.

Cel. **QUESNAI** ⁴²⁾ militis exemplum, cui tormenti bellici ictu, tibia perculsa magis, quam perfracta esset, cum tanto stupore, ut in ipso amputationis opere parum sentire videretur, et in hac sensus hebetudine paullo post moriretur. Praesentis itaque stuporis luculentissimum et facillimum indicium petitur, cum a sensus, tum a pulsus ratione. Haec autem commotionis vis certos gradus recipit. Nam vel in membri collisi finibus continetur, vel in tota neruorum vniuersitate se exserit, atque in aliis breuior, in aliis diuturnior esse solet.

Quamdiu vero talis stupor membrum, vel totum corpus tenet, amputationem haud conuenit suscipere. Etenim praeciso membro grauissimum vulnus atque natura sua periculosissimum infligitur, a cuius exitu salus aegri et vita pendet. In tanta autem, et membri et machinae totius perturbatione, ubi omnis neruorum vis fracta, ipsaque princeps facultas de loco et statu quasi mota esse videtur, quid potest de tali vulnere sperari? De trecentis aegris, quibus statim post acceptum impetum haec chirurgia administraretur, vix quadraginta seruos vidit **CEL. FAURE**. Cauendum tamen est, ne huic commotioni nimis multum tribuamus ⁴³⁾. Ut enim

42) Tr. de la Gangrène p. 41.

43) Haec mihi de commotione membrorum scribenti, utile visum est, illam recentiorum, de vnglobulorum

enim omittam, quod supra fuit a nobis commemoratum, maioribus tantum tormentis

L 4

bellicis

lorum ipsum membrum non attingentium, quaestionem, tribus verbis attingere. Ab aeris explosi potentia, illi ictus (*Lufstreichschüsse*) repeti plerumque solent. Diligenter de hac re scripserunt RAVATON I. C. et BILGUERUS in egregio libro: *Wundarzneykunst im Felde*. cf. TISSOT in notis ad BILGUERI Diff. Argumentis et observationibus ad persuadendum non ineptis, nuper ostendit Cel. LE VACHER Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 34. seqq. tales aeris ictus nunquam contingere, sed globulum transeuntem membrum vere attingere; quod autem exterius involucrum integrum appareat, hoc fieri quandoque propter eius molliem, qua versus carnes illud se recipiat; tunc itaque in has et in ossa subiecta omnem globuli vim effundi, idque a minoribus etiam militum instrumentis, quae manu tractantur, fieri, observavit. Commiscet autem Cl. LE VACHER, ictus prope membrum transeuntes (*Streiffschüsse*), cum aeris ictibus (*Lufstreichschüsse*); hos perperam negari a Cl. Viro nuperae PLENKII observationes docent. Militem ille v. g. vidit, qui thorace aeneo indutus, talem ictum acciperet, perfractis costis, et integro thorace, et integris vestimentis atque corporis involucris. Hoc vno exemplo tota illa Cel. VACHER de cutis mollietate disputatio fere diluitur. PLENKIUS tamen aeris impetum aequae non agnoscit in hac causa, electricae materiae hanc vim tribuens. Observationes idoneas attulit, et physicorum auctoritatem. v. PLENKS *Beobachtungen*. Laudat ille MARCHERRI, Pragensis Doctoris, Exercitat. de electricitatis aëreae in c. h. actione.

bellicis eam concitari, neque omnibus in aegris diuturnum stuporem relinquere; ubi certum est membrum nulla ratione posse seruari, commotionem non extimescendam, sed protinus membrum recidendum esse cum Cl. BOUCHER exploratum habemus. Nam succedente tempore omnia symptomata exacerbantur, et febris magis intenditur. Vulnere etiam, quae ultimam hanc chirurgiam necessario exigunt, grauissima sunt existimanda, ideoque malis atrocissimis foecunda. Quid autem potest inhumanius crudeliusque cogitari, quam aegrum sine vlla membri reportandi spe, in diuturnam, cum atrocissimis malis, dimicationem et colluctationem quasi conicere; et per viginti vel triginta aut quadraginta dies, inflammationis ac doloris saeuitia misere excruciatum sinere; tandemque fractum diuturna illa et violenta pugna, atque defatigatum, confectum dolore, sanguisque et puris profluuio exhaustum, novo vulnere eoque acerbissimo et periculosissimo aggredi; eique demtis antea omnibus ad pugnandum armis et auxiliis, bellum quasi denuo inferre atrocissimum atque diuturnum. Miror sane illam Cl. FAVRE in re tam ancipiti cunctationem. Neque id satis intelligo, cur corpus macie confectum, et morbo diuturno labefactatum, magis quam sanum corpus amputationi aptum existimet. Sanguinis abundantia, quam periculosissimam

nam esse in hac chirurgia fatemur, imminui potest eius per venas detractio. Immunditiei, si qua delitescat in ventriculo et intestinis, medicamentis occurritur. Quid ergo sanitatem adeo extimescamus, qua demta vix vlla prosperae curationis spes relinquatur? Caeterum displicet nobis in hac cunctatione, singularis illa ignavia, et ab omni actione et auxilio vacuitas, indigna chirurgi munere, quod totum positum est in perpetua actione. Etenim hi, ad quos haec nostra pertinet disputatio, ultimam chirurgiam differunt, non quod vel exigua velint spe uti, eamque mitiore chirurgia sustentare, sed ut tempus, scilicet magis opportunum, expectent. Idque adesse putant, dum prima symptomata conquieverunt, aliis interim venientibus, quas sunt illis atrociora, vel potius dum languor iam fere aegrum confecit. Eorum non reprehendimus tarditatem, qui memores, quantum lenior interdum valeat, in gravissimis membrorum laesionibus, medicina, illam antea volunt experiri, ne membro, vlllo auxilio videantur defuisse. Hi enim etiamsi aliquando fallantur, magis tamen laudandi sunt, quam vituperandi. Etenim nisi princeps arteria sanguinem fundebat, vel articulus totus erat collisus, huius cunctationis, poterunt excusationem a spe haud ieiuna repetere, quam similium curationum felix eventus excitet, aegrique et sanitas et voluntas con-

firmet. Illi vero dum cunctari videntur, magis properant quam alius quisquam. Nam duplex aegrorum genus faciunt, vnum, quod ultimam chirurgiam statim exigat, propter summum ac praesens vitae periculum; alterum, quod ea non statim indigens, tempore magis opportuno illam possit recipere. Ad primum genus eosdem referunt aegros, quos caeteri quoque solent, amputationi statim opportunos habere, nec ideo sunt in hac causa caeteris, vel tardiores vel prudentiores. Altero autem genere, eos aegros comprehendunt, qui mitioris chirurgiae beneficio possent seruari, in quibus optimi quique et exercitatissimi magistri, eam experiendam putant, totiesque cum felicissimo euentu experiuntur. Hos itaque miseros, quia certe scilicet praeuident eos ab ultimo auxilio vindicari non posse, ad membri amputationem destinatos, quasi et condemnatos seruant per viginti vel triginta dies, nullam interim iis medicinam extrinsecus, vel intrinsecus adhibentes, neque incisiones, neque alia auxilia tentantes, quibus membrum forte possit ab interitu, et aeger a mutilatione vindicari. Hanc rationem propositam nuper a Cl. FAVRE ⁴⁴⁾, recte mihi vituperasse videtur Cel. BAGIEU ⁴⁵⁾ et alii sanio rem medendi rationem secuti. Qui enim ita ver-

santur

44) Prix de l'Acad. de Chir. T.III. P. II. L. c.

45) Examen T. II. p. 601 seqq.

santur, opus protrahunt, non ut spes relinquatur mitiori chirurgiae, sed ut nihil agant, non ut leuent aegrum, sed ut excrucient. En summam in illa cunctatione festinationem! En summam, in illa scilicet prudentia, temeritatem! Caeterum aegros illos, qui quatuor vel sex menses post acceptum vulnus, amputationem passi, mortem feliciter, ut ait Cl. FAVRE, euitarunt, sine membrorum suorum iactura integros potuisse seruari, cum Cl. BAGIEU persuasum habemus. Qua de re si qui sint, qui vel propter vasis principis vulnus, vel propter os totum perfractum atque collisum, vel propter imminens ossium et mollium partium vitium, in certa temperamenti ac aetatis ratione, nequeant ab ultimo auxilio liberari, his protinus illud afferendum. Si qui autem possunt seruari, plurimi autem possunt, tempore, quod mali ratio concesserit, frui oportet, et omnia, quotquot chirurgiam suppeditet auxilia expromere, neque vel diligentia, vel lenitate, vel seueritate aegro deesse, ne hominem poeniteat, vitae suae ac integritatis fiduciam in hominem collocasse.

II.

DE LOCO AD INCISIONEM
DELIGENDO.

Si membrum gangraena vitiatum, tollitur, in sana, non in affecta parte illud praecidendum esse, in eo cum PATRE meo omnes hodie consentiunt. Neminem enim fere arbitror, qui veterum ⁴⁶⁾ illam opinionem, superiore

- 46) Solent plerumque a FABR. AB AQUAPENDENTE illam in corrupta carne secandi rationem repetere, qui vel ipse vult videri eam inuenisse. Nam ita C. XLVII. Operatt. Chirurg. Opp. p. 629. *Accipis nunc quid ego excogitavim. — Hunc modum, quem ego sum imaginatus, vidi postea propositum a IO. DE VIGO.* Eadem cum vanitate, de hoc ingenii sui foetu, loquitur in Pentateuch. Chir. L. I. Opp. p. 103. Ed. Lugd. Bat. 1723. Neque tamen IO. DE VIGO primus hanc rationem proposuit (v. Ei. Practica Chirurg. L. IV. C. VII.), quae propter sanguinis profusionem a plerisque veterum usurparetur. Dilucide v. g. mentem suam exposuit HIPPOCRATES in Sect. VI. Lib. de Articulis Opp. T. II. Ed. FÖES. p. 103. Ibi enim monet, tarde abscedere membra corrupta, ergo auferenda esse, ubi iam prorsus emortua fuerint *et iam ad dolorem, hebescunt*, iuxta articulum tollenda, habita tamen cura ne vulnus infligatur — (propter sanguinis profusionem). *Nam animi defectio muros confestim e medio sustulit.* cf. HIPPOCR. Mochlicus, quod compendium est libri de articulis in Opp. T. II. p. m. 134. Primus hanc rationem vituperavit CELSUS L. VII. C. XXXIII. GALLENUS vero eam repetiit. ad Glaucon. L. II. C. IX.

periore iamtum saeculo explosam denuo in scenam producere velit. Vbi vero propter fracturam grauiorem haec chirurgia instituitur, an supra perfractam ossis partem fieri hoc semper debeat, an iuxta fracturam fieri interdum possit, operae pretium est paullo accuratius perquirere.

Plurimum enim interest, tibiam homini an cum ea femur praecideris, humerum in media diaphysi an ex articulo demeris. In eadem opinione PATREM meum esse intelligo (§. 484.), in qua plerique esse solent, ut nempe propter rimarum vel fragmentorum metum, supra locum perfractum, os recidi necessario debere existimet. Hanc rationem omni tempore a plerisque chirurgis vsurpatam, magni quidem viri nuper ausi sunt

C. IX. *Membrum emorsuum eo loco tollere decet, ubi sanam partem attingis, — rursus est, corruptum quam sanam tollere.* Claris etiam verbis ilam in mortua parte sectionem commendauit AVICENNA Fen. II. L. IV. Fen. III. Tr. I. Post VIGONEM diu ante FABRICIUM hanc methodum proposuit ANDR. VESALIUS in Chirurgia magna L. V. C. XII. p. 344. Ed. Venet. 1568. Post FABRICIUM hac ratione vsus est SCULTETUS Armament, Chirurg. p. 144. Ed. Sproegelii. Praestantissimi tamen Chirurgi superiore iam tum saeculo eam reicerant CORN. v. SOLINGEN *Manuale Operasion der Chirurgie.* Amst. 1684. P. IV. C. II. deinde IO. VIGIER in Opp. Chir. L. I. C. XII. p. 30. Ed. Hag. Com. 1694. DIONIS *Cours d'Operations* p. 741.

sunt deferere. Interim tamen Cel. LOUIS⁴⁷⁾ pristinam illam legem sua nuper auctoritate studuit chirurgiae vindicare. *Lorsqu'on est obligé, inquit, de couper un membre fracassé, par quelque cause extérieure, que ce puisse être, il est de règle de faire l'amputation au dessus de la playe; Mais si le corps contondant a été poussé par la violence de la poudre à canon, l'on donne plus d'étendue à ce précepte, on conseille de couper le membre au dessus de l'articulation, qui est supérieure à la playe. Quand même l'os ne seroit, ni feudu ni éclaté jusqu'à l'articulation supérieure, il est d'usage de faire l'amputation au dessus de cette articulation, si la playe en est près, dans la crainte que la capsule ligamenteuse n'ait souffert des extensions fortes, & ne soit meurtrie concuse, & même déchirée, en quelque point, par la secousse, que le membre aura reçu.* lubet itaque Vir Celeberr. tibiam iuxta articulum perfractam, cum femore supra genu tollere, cum humero illud accidit de articulo illum totum excidere.

Ego vero etsi vehementer laetor PARENTIS mei doctrinam Celeberr. LOUIS, Viri Summi, auctoritate confirmari, vix tamen mihi possum imperare, quin moneam lectores meos, ne latius, quam par est, illam legem extendant. Primo quidem videndum est, rimae tantum, an fragmenta in osse iuxta articulum

47) Sur l'Amputation des grandes Extrémités. Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 429.

culum adsint, nam illae sunt his tolerabiliores. Quod si tamen crus inferius insanabilem in medio loco fracturam passum est, vna vel altera rima ad articulum vsque hiante, femur praecidere necesse haud est. Nam rima, quae paullo angustior est, aequae ac in alia fractura, coalescet. Vbi vero fragmenta in supremo osse vacillantia, perioestium et carnes lacesunt; propter gangraenae metum supra genu membrum tolli oportet, nisi forte incisus carnibus, ea statim possint educi. Accidit interdum, quod recte obseruatum est a SOLINGENIO ⁴⁸⁾, vt tibia iuxta articulum magno hiatu dehiscat, eminentibus hinc inde ossis fragmentis minoribus. Potest in tali fractura femur seruari, cum protinus caro vsque ad os inciditur. Nam si praeciso sub genu crure talis hiatus, cum testa ossis, remanet; inflammato perioestio summum periculum oritur. Mala enim materia ibi collecta, in tubum ossis per illum hiatum deferretur, ibique medullam, facta inflammatione, corrumpit. Quod discrimen, nisi ab initio auerti potest, satius est supra genu membrum tollere.

Magnam porro haec res differentiam accipit, a globuli mole et instrumenti magnitudine, de quo ille explosus fuerit. Minorum enim glandium, quales ex paruis instrumen-

tis

48) VAN SOLINGEN *Manuale Operationen der Chirurgie* P. IV. C. II.

tis bellicis manu gerendis expelluntur, impetus ac vis in ipso vulneris circuitu continetur. Neque in his quidem vulneribus vel commotio, vel rimarum, aut fragmentorum multitudo adeo extimescenda. Magnorum vero globulorum de tormento bellico explosorum, violento impetu, et concutitur os, et finditur ad articulum usque, hoc raro integro manente. Haec tamen commotionis vis, cui nimis multum tribui a nonnullis existimo, iuxta apophysium fines plerumque terminatur, et ad caput humeri haud semper peruenire solet. Ligamenti capsularis contusionem, vel laesionem, haud tantum periculum habere, ac vulgo creditur, observationes supra a me allatae docent. Cum totum humeri os perruptum est, integro humero iam fere auulso, tunc omnis commotionis vis iuxta eum ossis locum effunditur, et quasi exhauritur, in quo illud cum partibus mollibus auulsum est. Nullum in parte superiore, neque fragmentorum, neque stuporis periculum. In tali itaque exemplo latius est inchoatam illam amputationem scalpello absolueri, quam nouam in articulo instituere.

Superiore iam tum saeculo contra receptam illam in scholis legem disputauit CORN. V. SOLINGEN⁴⁹⁾, Vir eximius, cuius multum valet in his rebus auctoritas; in qua Viri celebritate,

49) l. c.

lebritate, mirum est, neminem eius observationem tetigisse. Verumtamen proprio ingenio ductus, pristinam rationem deserere ausus est **CEL. DE LA MOTTE**⁵⁰⁾, praecipuae nuper dignitatis Chirurgus. Foeminae molari lapide utrumque os cruris contunditur, fragmentis iuxta superiorem articulum compluribus eminentibus. **CEL. DE LA MOTTE** cum aliis quibusdam chirurgis, consilium iniuit de instituenda amputatione, quam necessariam esse omnes consentirent. De loco deligendo nata est dissensio. Illi quidem explorato vulnere, et cognita fragmentorum iuxta articulum asperitate, femur tollendum esse asseruerunt. Hic vero, pedem in summo iuxta articulum loco praecidi posse, affirmavit, caeteris diu ac severe refragantibus. Quos cum vel argumentis, vel auctoritate sua vicisset, feliciter id opus peregit. Tibia eo ipso in loco, in quo membrum secaretur, perfracta erat, sic ut ferra per fragmenta ducenda esset, quae res aliquantum peperit difficultatis. Fibulae tamen, cum in eadem sede qualiscunque integritas contigisset, ferram potuit, quantum ad hoc opus necesse est, impingere. Quibus impedimentis, prudentia Viri atque dexteritate superatis, nata est in vulnere suppuratio copiosissima, cuius molitione

50) **DE LA MOTTE** *Traité complet de Chirurgie*
T. III. Obs. 31.

tione fragmenta reliqua labefactarentur. Nemo, quod ego sciam, hac obseruatione vsus est, praeter Cl. BAGIEU⁵¹⁾). Hic enim fretus Cel. DE LA MOTTE auctoritate, et similem rationem feliciter instituit, et caeteros ad eam suscipiendam inuitauit, dilutis veteris disciplinae argumentis. Deinde Cl. RAVATON⁵²⁾) haud aliena, quantum existimo, sed propria obseruatione inuitatus, abiecto illo fragmentorum timore, os in loco minus consueto praecidere tentauit, quod ei saepe successit feliciter.

Quorum ego Virorum auctoritati lubens accedo. Rimas enim et fragmenta, cur in hac causa magis quam in alia fractura extimescamus? An difficilius in trunco ossis, quam in membro fracto, coalescere poterunt? Quid quod crebrior est inanis eorum suspicio, quam praesentia! Vbi autem vere adsunt, metum eorum ipsa noxa maiorem esse arbitror, consentiente obseruatione. In articulis adeo ea tolerari quandoque posse, experientia docuit. Cum itaque caput ossis humeri fractum perhibetur, nisi multa adsint fragmenta, membrum de articulo excindere haud conuenit. Illud enim, vti supra posui, vel finendum est, vel cum diaphysis ossis valde collisa est, in consueto loco abscindendum. Fauet huic sententiae

51) l. c. T. I. p. 311.

52) Chir. d'Armée C. XXVII. cf. Obs. 105.

tentiae nostrae Celeberr. RAVATONI⁵³⁾ narratio, alio iam loco⁵⁴⁾ a nobis commemorata. Multo minus conuenit ad illam articuli chirurgiam properare, si media, vel paulo superior humeri pars globulo, perfrangitur. Tunc enim, ille commotionis et rimarum in articulo metus, magis adhuc inanis est.

Si pes propter insanabile vitium in quacunque eius parte natum, tollendus est, solent eum vulgo, vti a PARENTE meo et a caeteris praeceptum legimus, sub tubere ossis tibiae abscindere⁵⁵⁾. In humiliore loco id fieri posse negant, propter lignei pedis hic applicandi difficultatem. Sanguinis quoque

M 2

profu-

53) Chir. d'Armée. C. XXVII.

54) Suppl. V. p. 157.

55) Superioribus quidem saeculis extremum pedem, iuxta malleolos, tenacula interdum tollere solebant. Vno ictu nonnulli hoc perficiebant, lati scalpri ope, quod malleo intruderent. Hanc rationem vituperat HILDANUS de Gangr. et Sphac. C. XVII. in Opp. p. 800. Eam quidem in Tab. XLVI. Fig. XII. expressit SCULTETUS, melius vero HEISTERUS in Institutt. Chir. T. I. Tab. XII. Fig. XVII. Recentiorum quidam tutius hoc fieri existimarunt scalpelli ope, excisis iuxta metatarsum ligamentis; v. GARENGOT *Traité des Operations* T. III. p. 413. Hodie vero haec ratio fere euiliuit. Interim tamen vsu cognouit Cl. nuper DE GARENGEOT, id quod relinquatur de pede, impedimento haud esse, quod plerique putant.

profusionem ex illa arteria metuit PATER meus, quae per tibiae superiorem et posteriorem partem ad ossis medullam fertur, et in ossis tubo descendit. Hanc autem arteriam, in consueta chirurgia, haud semper vitari posse certum est, idque profitetur PETITUS⁵⁶⁾ in eadem observatione, quam PATER meus ad §. 248. commemoravit. Monendi etiam sunt tirones, hanc arteriam, vbi ad vnius circiter unciae longitudinem in ossis tubo progressa sit, ex eo iterum emergere, extrinsecus vero sine periculo sauciari, cum intus dissecta facile contineatur. Hic itaque arteriae metus in pede iuxta malleolos praecidendo, nullus est. Interim tamen stat pristina lex, a recentissimis quibusque scriptoribus confirmata. Primus, quod ego sciam, labefactare eam conatus est Cel. RAVATON⁵⁷⁾, quem plures observationes docue-
runt,

56) Ita enim Cel. PETIT: *Dans l'Amputation de la Jambe on coupe quelque fois l'artere etc.* in Acad. des Sciences 1732. p. 390. (non quidem 539.)

57) De hac amputatione, primum scripsit Cl. RAVATON in Recueil periodique de Mr. VANDERMONDE T. VI. 1756. p. 130. cf. Eiusd. Chir. d'Armée Obs. 105. Vel hoc saeculo primus est Cl. RAVATON, qui talem rationem usurparit. Errat autem Vir optimus, qui amputationis ad malleolos, se inventorem esse putat. Serio eam iam olim commendavit CORN. V. SOLINGEN in *Manuale Operationum der Chirurgie* p. 246. et DIONIS Cours d'Operations T. II. p. 742. Cel.

runt, et citius sanescere vulnus, et eo sanato commode cum idonea machina aegros incedere, dum iuxta malleolos membrum recidatur; ocream quoque huic vsui excogitavit accommodatissimam. Deinde CH. WHITE⁵⁸⁾, Chirurgus Londinensis, illam in extrema tibia amputationem valde nuper commendavit, vsu et experientia sibi probatam. Ego vero non diffiteor, quin alii quoque hanc rationem in posterum sint secuturi, quae, demtis pristinis illis impedimentis, nulla eget, apud intelligentem virum, commendatione. Primum enim plaga et circuitu angustior, et periculo mitior in pede inferiore infligitur. Nerui et arteriae minus periculose ibi fauciantur. Carnes in ea sede sunt graciliores, et tenuior ac parcior adiposa tunica, inde puris proventus moderatior, minorque gangraenae metus. Membri tandem a corpore seiuncti parua moles. Inde sanguinis illae turbae, de quibus supra dictum est, minus extimescendae. Posse etiam pedem, si res id exigat, supra consuetum locum, iuxta genu

M 3

prae-

DE LA FAYE nihil ad hunc locum monuit, ideoque in eadem opinione esse videtur. Idem docet nuper TRECOURT *Memoires de Chirurgie*, 1769. p. 256 seqq.

58) Extat eius de hac methodo dissertatio, in the *Medical Inquiries and Observations* T. IV. p. 164 seqq. cf. Eiusd. *Cases in Surgery* whit *Remarks*, London 1770.

praecidi, ex illa quidem Cel. DE LA MOTTE obseruatione manifestum est. Veruntamen haec ratio nunquam tentanda est, nisi dum femur alia ratione a chirurgia vindicari nequit. Angustas rimas, vel fragmenta parua, satius est tolerare, infra illa praeciso membro, quam, propter inanem fracturae metum, iuxta genu illud praecidere.

III.

DE AMPVTATIONE BENE
 INSTITVENDA OBSERVATIONES
 QVAEDAM.

Solent plerumque faciles curationes, negligentius a chirurgis administrari, quam operosa illa Chirurgiae artificia, quae magnam sensuum ac iudicii intensionem, manusque dexteritatem excellentiorem exigunt. Est quidem in omnis negotii difficultate ad diligentiam, in facilitate ad negligentiam inuitatio. Nam leuitas in agendo, vel maxime oritur a difficultatis ignorantia. Atqui fere difficilius est in facili negotio, paucum id quod inest difficultatis animaduvertere, quam multa et magna grauiorum operum incommoda, et curiose obseruare, et euitare diligenter. Grauiora praeterea opera gloriae propositae stimulis industriam acuunt, quod ita quisque maior habetur et excellentior, vt
 diffici-

difficilius fuerit atque operosius negotium, quod sit excutus. Clare hoc patet in membrorum chirurgia, quam diligentius et melius, ut mea fert opinio, nonnulli essent administraturi, nisi eius difficultas vel ignoraretur ab iis, vel contemneretur. Qua de re, quae sint huius operis cautiones, paullo diductius explanabo, enarratis praesertim recentiorum praeceptis, atque examinatis.

Incisionem et in fronte trunci et in circuitu eius aequalem esse debere, nemo ignorat. Hoc vero plurimas ob causas difficile est; multum confert, si membrum recte continetur. Veteres quidem chirurgi, quos diligentiores fuisse in his rebus arbitror atque curiosiores, in sellam iubent aegrum collocare, funiculis vndiquaque alligandum. Hodie vero in lecto illi decumbenti, haec chirurgia solet administrari. Recte iam olim hanc nonnullorum rationem vituperavit IAC. GUILLEMEAU⁵⁹⁾, sella peculiari usus, in qua aegrum, et funiculorum ope, et socio- rum subsidio, immobilem praestaret. Gravier etiam contra illam in collocando aegro negligentiam dixit FABR. HILDANUS⁶⁰⁾. *Monitos inquit velim Chirurgos, ne operationem*

M 4

hanc

59) Operations de Chirurgie Tr. III. C. V. in Opp. p. 713.

60) De Gangraena et Sphacelo C. XIX. in Opp. p. 810. De situ aegri legatur HILDANUS C. XIX. c. SOLINGEN P. II. C. IV. p. 247 seqq.

hanc in lecto decumbente aegro incipiant. Ille autem et ratione et vsu cognoscens, motum ferreae neque certum, neque tutum esse posse, extrema membri parte hinc illinc vacillante; scamno solebat pedem extremum alligare. In qua ratione, quid adeo reprehendatur a quibusdam, non intelligo. Pedes scamni firmos esse oportet, quod facile quidem potest impetrari. Quo si iam uti nolimus, alio fere auxilio opus est. Nullo enim sociorum robore, nulla constantia, pes poterit in illa ferreae agitatione, immobilis praestari. Neque minorem haec res in superioribus membris difficultatem parit. Quam ut auerteret nuper AMBR. BERTRANDI⁶¹⁾, machina vsus est, excipiendae et sustentandae membri extremae parti, accommodata. Fulcrum ligneum quidem, quatuor pedibus suis late excurrentibus immobile praestitum, (cuius altitudinem oportet, ad pedis, vel brachii rationes accommodari,) in furcam paullo latiorē definit, in quam extremum membrum collocetur, manu ministri ac chirurgi ibi continendum. Plurimum laudant hanc rationem, qui ea vsi sunt, serio commendatam a Celeberr. LOUIS, et in Gallia hinc inde vsurpatam.

Ad incisionem recte instituendam plurimum quoque valet, si carnes earumque inuolucra,
fursum

61) Operations p. 472. Laudat hanc machinam
 LOUIS Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 433.

furfum deorfumque reducuntur; his enim relaxatis metus est, ne plaga contundatur. Vnum vinculum supra incisionis locum iniicere plerumque solent, vti a PATRE meo praeceptum est. Expeditius equidem arbitror inter duo vincula incidere. Erat haec olim ALBU CASIS ⁶²⁾ ratio, quam a GUIDONE ⁶³⁾ repetitam, recentiores fere neglexerunt. Curuo cultro ⁶⁴⁾ vix opus esse arbitror.

M 5

tror.

62) vide ALBU CASIS Chirurg. P. II. C. LXXXIX. p. 296.

63) vid. GUIDONIS DE CHAULLIAC Chirurgia magna Tr. VI. Doct. I. C. VIII. Hunc modum olim probavit HILDANUS C. XIX. Opp. p. 807. cf. SOLINGEN l. c. et MUNNIKS, scriptor haud inceleber, Prax. Chir. L. I. C. XVII. §. 60. Nuper etiam duplicem vincturam commendavit Cel. LOUIS Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 404. cf. BERTRANDI l. c. p. 472.

64) Primus hoc instrumentum commemoravit PAREUS L. X. C. XIX. Opp. p. 370. PAREUS etiam primus, quod ego sciam, carni inter duo ossa sectionem proposuit. Fuerunt olim, qui hunc modum vituperarent. vid. MUNNIKS l. c. Curvum cultrum iam olim repudiavit SOLINGEN p. 242. DOUGLAS in Syllab. Operat. Chir. p. 42 seqq. et CHESELDEN in Obs. ad DRANIUM, vid. the Operations of Mr. LEDRAN whit Remarks by Mr. CHESELDEN Ed. GATAKER p. 451. In brachio praesertim eum reiicit LOUIS l. c. p. 453. Non propriae utilitatis, sed litterariae notitiae causa, illam quoque LEONHARDI BOTTALLI ante PAREUM Celeb. Chirurgi, rationem comme-

ror. Idem sentire videtur PATER meus, et Angli iam dudum illum repudiarunt. In brachio certe fatius est recto scalpello vti. Alia difficultas oritur, cum duo ossa tollenda sunt. Id enim, quod tenuius est, vacillat et fragmentis relictis interdum abrumpitur. Minus tamen in brachio, quam in crure bina illa ossa differunt. Tibia vero, fura multo plenior est. Inde ab illa semper ordiendum, quod miror a HILDANO neglectum esse. Quod si vero radium primum secare (Institutt. §. 241.) conuenit, haud adeo reprehendendus

commemorandam hoc loco putauit, quam a MAGISTRO IACOBO cognomine REGIO ille acceperat. *Cultri duo lati, inquit, quorum unus intra duas columnas ligneas cippo infixus est, aciem sursum producat, alter vero, intra easdem columnas, superiore loco ponitur, qui admissim descendat, ut aciem acie fricet. Hic autem, quo minus labatur, sulco in utraque columna facto, recipitur ut, quasi fistuca, sursum deorsumque ferri libere possit, non vltro, citroque; et quo suo solo descensu ac pondere, totum membrum detruat, cippo vel plumbo onerandus est, quantum satis videbitur, vel ipse quoque ingenti, ac graui malleo ligneo, ut vnica illisione opus absoluat; sed melius est, si instar fistucas cadat. Nemo, quod ego sciam, hunc modum probauit, praeter IO. V. HORNE, BOTALLI commentatorem; vid. BOTALLI Lib. de Vuln. Sclop. C. XXIII. §. 8. in Opp. Edit. HORNII, Leidae 1660. p. 742. Qua ratione in pedis ac manus chirurgia vsus fuerit BOTALLUS, supra dixi.*

dendus est Cel. nuper DE GAREN'GEOT ⁶⁵), qui chirurgum, externae brachii parti obuersum stare iubet. Nam si in diuerso ille loco collocatur, vtrumque os simul incidere fere necesse est. Satius tamen arbitror, ferram primum supra radium ducere, et vtrumque deinde os simul secare. Vbi vero in superiore loco brachium tollendum est, a cubito, qui ea in sede plenior est, ordiendum, tumque internae parti obuersus stare debet chirurgus. Nam duo illa brachii ossa, mutato crassitudinis modo descendunt; vbi ad manum coire gestiunt, cubitus tenuior, radius plenior est. In cruris autem chirurgia, magnam fibula tenuitate sua ac inconstantia, parit difficultatem. Expedi igitur, incisus carnibus, vtrumque os vinculo comprehendere, idque paullo fortius adstringere. Tali enim modo, fibula ad tibiam adducta, immobilis fere praestatur. Quam rationem, propositam nuper a Celeb. BERTRANDI ⁶⁶), et laudatam a Celeb. LOUIS, serio commendamus.

Nihil vero in hac chirurgia magis extimescendum est ossis eminentia, qua et curatio protrahitur, et membrum sustinendae machinae ineptum redditur. Antiquissimi iam tum chirurgi hoc incommodum experti, cutem cum carnibus valide reducere iusserunt,

VT

65) *Traité des Operations* T. III. C. IX. Art. VIII. §. 3.
Reprehendit eum HEISTERUS T. I. p. 475.

66) *l. c.* p. 472. cf. LOUIS *l. c.* p. 443.

vt cuti parcerent, et os altius praeciderent (Institutt. §. 240.). Hoc demum seculo *iterata sectio* ⁶⁷⁾ (§. 240.) proposita fuit, quam, a nemine, quod ego quidem sciam, vel reprehensam, vel neglectam, a Cel. LOUIS ⁶⁸⁾ nuper vituperatam esse, miramur. Cutem quidem retrahi negat, omni elateris facultate destitutam; neque etiam in cute, sed in carne reducenda, auxilium quaerendum esse, sibi persuadet. Primum autem vereor, vt de illa cutis retractione recte dubitetur. Eam enim post inchoatam illam et primam incisionem, cum subiecta tunica adiposa resilire, clare patet nudatis carnibus. In simplici adeo vulnere, quod vel iniuria, vel ars inflixerit, cutem dehiscere videmus. Quid quod in caduere

67) Iteratam sectionem Angli solent a CHESELDENO repetere, Galli a PETITO. CHESELDEN eam descripsit et figura expressit in Obs. ad DRANIUM the Operations of Mr. LEDRAN etc. p. 461. cf. MORAND Eloge de CHESELDEN Hist. de l'Acad. de Chir. T. II. SHARP Enquiry p. 284. De PETITO cf. PORTAL Histoire de l'Anatomie et de la Chirurgie T. IV. 1770. p. 389. CELSUM non intelligunt, qui L. VII C. XXXV. iteratam sectionem sibi reperire videntur.

68) l. c. p. 248. et p. 405. cf. BAGIEU l. c. T. I. p. 330 seqq. POUTEAU Mélanges de Chirurgie p. 369. Defensa est Cel. LOUIS methodus in libello, rusticis salibus ac ignominiosis obreftationibus referto, qui inscribitur: Avis, d'un Serviteur d'Esculape, sur les Mélanges de Chirurgie, aux Citoyens de Lyon 1771. p. 87 seqq.

dauere eadem res animaduertitur! Ego vero in eam non descendo controuersiam, elateris vi cutis praedita sit, an destituta; destitutam esse largior, adeoque credo. Quis vero cellulosae telae hanc vim denegarit? Retrahitur ergo cutis. Propria hoc facultate, an aliena potentia fiat, parum interest. Quaecumque ita sint, iterata sectione efficitur, ut relaxata cute ac reducta, deorsum illa deinde adduci et extremo trunco circumponi possit. Cute vero eo magis ibi est opus, quod carnes grauitur plerumque intumescunt, et nudatae valde alienantur. Quia vero cutis a musculis seiuncta, relaxatur, ideoque difficilius continetur, satius videtur Celeberr. BAGIEU⁶⁹⁾; prima statim sectione de carnibus tantillum circumsecare, quemadmodum iam olim a H. F. LE DRAN⁷⁰⁾ praeceptum legimus. Quodsi tamen propter cutem reducendam, iterata sectio usurpanda est, vereor ut ea tali modo instituta multum conducatur. Quamquam vero in seruanda cute magnum est bonae curationis praesidium, potest ea tamen et longitudine molesta fieri. Grauitur errant, qui areae trunci eam superimponendam esse dicunt. In femore tamen hoc nulla opera impetratur.

In

69) BAGIEU Examen de plusieurs Parties de la Chirurgie T. I. p. 336.

70) Traité des Operations de Chirurgie p. 557.

In brachii ac tibiae chirurgia iteratam sectionem a Cel. LOUIS⁷¹⁾ commendatam esse miror, quam in femore et humero praecidendo, adeo reprehenderit. In tibia autem nouam ille rationem proposuit, quam nemo quod ego sciam, secutus est. Musculos quidem in posteriore parte membri collocatos retrahi putat, et hac musculorum retractione cutem anteriorem ossi tibiae inhaerentem, simul reduci, hac autem reducta os anterius nudari. Cutem in posteriore parte, ubi carnes subiectas habet, retrahi concedit ille quidem, hoc vero parum curandum esse existimat. Musculos enim valentius, quam cutem retrahi putat, inde in ea parte, ubi carnes adsint, cutem semper musculis inferiorem esse futuram, qua illi possint inuolui. Si quis itaque sit in hac chirurgia, iteratae sectionis fructus, eum omnem, ad anteriorem et dimidium membri circuitum, pertinere sibi persuadet. Qua de re iubet, primum cutem anterius praefertim reducere, eamque fascia inferius iniecta sursum cogere; deinde, dimidium et anteriorem quidem cutis circuitum incidere, tandem iterum cutem dissectam fortiter reducere, et sic carnes circa os profundius circumsecare. Ut vero ad ossis eminentiam reuertar, ad eam auertendam parum

71 l. c. p. 446. Nemo, quod ego sciam, hanc Celeberr. Viri rationem tentauit, grauius vituperatam a Cl. BAGIUB l. c. T. I. p. 333.

parum valere arbitratur iteratam sectionem. Huius enim auxilio cuti, non carnibus consulti, Cel. LOUIS existimat, a quarum retractione illud incommodum vel maxime sit repetendum. Haec itaque carniū vis cum nulla ratione possit coerceri, satius visum est Ill. Viro eam in ipso opere subleuare, ut protinus ea se tota exferat. Iubet ideo Vir Celeberr. circumpurgato osse antequam hoc ferra tollatur, fasciam superiorem soluere, ut musculi doloris stimulis lacesciti protinus resiliant, linteo perforato (*compresse fendue*) paullo fortius reducendi. Haec res feliciter cessit Ill. LOUIS ⁷²⁾ et aliis, qui eam rationem sequerentur. Neque tamen defuerunt, qui illam valde reprehenderent. Musculos quidem soluta fascia statim retrahi posse, negat Celeberr. POUTEAU ⁷³⁾, (nam in hac re arx collocatur disputationis,) eam vim non a praesenti stimulo, sed ab aliis causis, sero plerumque accedentibus, pendere existimans.

Ego

72) l. c. p. 276. Miror me SHARPIUM illo in loco haud nominatum videre a Cel. LOUIS. Ille enim de fascia soluenda iam dudum ante Ill. LOUIS cogitavit, quam post primam sectionem tollendam esse diceret. Ita enim scripsit: *then taking off the Linen Roller and an Assistant drawing back the Skin, as far as it will go, you make your Wound from the Edges of it when drawn back, thro' the Flesh, to the Bone, in the same manner, as you did, thro' the Skin.* Operations of Surgery p. 216.

73) Mélanges de Chirurgie per Mr. POUTEAU p. 374 seqq

Ego vero ita sentio, esse huius retractionis modum certum ac finem, pro sensu et natura aegri, et pro membri ratione diuersum, ita vt aliis parum, aliis multum de osse nudetur; hunc modum et finem in aliis citius attingi, protinus, fascia soluta, retractis carnibus, in aliis tardius ac sensim hoc fieri, hosque soluenda vinctura parum subleuari. Sunt enim causae permultae, quae illam carniū vim imminuere possint, vel certe ab initio retardare, vt v. g. cum stupor illas tenet, quo ad sensum ac motum hebescant. Parum etiam carnes retrahuntur iis, qui marcore iam confecti illam chirurgiam patiuntur. Possunt denique cum inflammatione ac suppuratione, nouae retractionis causae serias accedere, quibus carnes in ipso iam tum opere retractae, magis adhuc reducantur. Quae cum ita sint, etsi parum commodi, vel suo testimonio, a noua illa ratione impetrauit Cl. POUTEAU⁷⁴⁾; parum tamen mihi valere videntur aduersus Cel. LOUIS methodum, singularum curationum exempla illa. Potuerunt enim in illis ipsis exemplis tales causae adfuisse, quae musculorum retractum in ipso opere retardarent. Deinde dubitandi semper locus relinquitur, magisne forte os prominisset, fascia non soluta.

Quod reliquum est illa Celeberr. POUTEAU⁷⁵⁾ argumenta, ingenio magis quam obseruatione

74) *Mélanges de Chir.* p. Mr. POUTEAU p. 374

75) *l. c.* p. 376 seqq.

seruatione niti videntur; vt enim carnes fascia soluta retrahi negaret, vsus est disputatione fere tali. Musculorum retractum non ab insita quadam vi, sed a telae cellulosa vicissitudinibus pendere existimat, huiusque vi illos contineri. Dum itaque loculi adipem ferentes repleti sint, naturalem situm carnes ac longitudinem seruare. Illis vero exhaustis, (quod puris tandem prouentu fiat), vi suae insitae et arbitrio quasi, musculos relictos esse; his itaque libere fluctuantibus, et repentibus, os nudari. Ego vero, vt ingenue profitear quid sentiam, illam telae cellulosa vim, animo concipere non possum. Nam in ea me semper opinione fuisse profiteor, vt exhaustis eius loculis, carnes longiores factas, adduci existimarem. Indeque in exhaurienda tela cellulosa, naturale illud vulnere auxilium posui ⁷⁶). Nam redundante ac intumescente tela cellulosa, quae musculorum fibris intertexta est, carnes reduci, et ratio probat, et vulnere obseruatio docet. Ea vero marcescente, carnes relaxatas adduci, consequens est. Deinde non intelligo, quomodo tela cellulosa, in trunco membri exedatur, quod Cl. Viro placet ⁷⁷). Exhauritur illa, suppuratione, exeditur gangraena; neque clare satis patet in illa Celeberr. Viri disputatione,

76) Suppl. II.

77) POUTEAU p. 376. cf. LOUIS Lc. T. IV. P. II. p. 159 seqq.

tione, quo in loco illa vel exhauriatur, vel exedatur. Iuxta trunci marginem dum hoc illi accideret, parum, vel propter hanc causam, carnes retractum iri crediderim. Totum fere truncum oporteret hanc labem experiri, vt carnes possent ad duos digitos transuersos ascendere.

Neque tamen in fascia soluenda (quod expeditissimum esse arbitramur) omnis Celeber. LOUIS methodus absoluitur. Porro enim iussit⁷⁸⁾, carnes ossi quaquauersum adhærentes, scalpello soluere, vt ad duos digitos transuersos, vel sponte resiliant, vel lintei perforati (*Compressæ fendue*) ope reduci possint. Ex hoc consequens est, os ad duos digitos transuersos altius præcidi, quam in consueta ratione fieri solet; quod veremur vt in femoris chirurgia commode semper fieri possit⁷⁹⁾. In humeri autem amputatione, hoc superuacaneum existimamus, in quo et parum, et sine magno incommodo, os prominat. Caeterum in femore, ad quod vel maxime voluit hanc nouam methodum pertinere, veremur cum Cel. BAGIEU⁸⁰⁾, ne valde operosa

78) LOUIS Mem. de l'Acad. l. c. p. 277. et p. 408.

79) Interim tamen probat hanc altiozem sectionem, ab Ill. LOUIS propositam, OLAUS ACRELL, Vir Celeberr. in Oratione, quae simplicitatem in opificiis chirurgicis commendat, *Tal om Nöthwendigbeten* etc. Epitome huius orationis legi potest in Commentariis de Rebb. in Hist. Nat. et Med. gestis Tom. XV. p. 423. 427.

80) l. c. T. I. p. 247 seqq.

operosa sit haec chirurgia, et molesta. Illud enim os, musculos vndiquaque circumiectos habet, qui non paucis forte fibrillis illi annectuntur, sed lata carne adhaerent. Aliter quidem placet Celeb. LOUIS⁸¹⁾, qui praeter *cruralem* musculum, nullum existimat femori adglutinari. Interim tamen *vastus externus* totam superficiem externam, *internus*, internam obtegit. Verum quidem est, vtrumque musculum inferiori femoris parti minus, quam superiori ac mediae, adhaerere. Attamen infra mediam partem ossis adhuc adhaeret; liberior est iuxta inferiorem et quartam ossis partem, ita vt nullum dubium superfit, ea in sede femur, in qua membrum praecidatur, his duobus musculis firmiter adhaerentibus circumdari. Inferius tandem vterque musculus a latere antrorsum flexus in exiguas fibrillas carneas desinit, quae iuxta patellam in paruum tendinem immittuntur. Ex his itaque consequens est, non leni scalpelli incisione⁸²⁾ hos musculos seiungi posse, sed illud circa totum ossis circuitum ducendum esse, vt carnes illae deglubantur. Metuendum quoque est, ne plagam vasa accipiant; nam carnes in illo scalpelli negotio, coram non sunt et in conspectu positae, sed ab oculo chirurgi remotae. Caeterum experientia nondum constitit, quid carnis il-

N 2

lis

81) l. c. p. 408.

82) Ita quidem videtur Celeberr. LOUIS,

lis fibris tali ratione separatis, et libere fluctuantibus, in posterum contingat. Nata suppuratione eas putrescere, a vero propius est. Quodsi vero sine incommodo possint musculi a vinculis suis dissolui, verendum tamen est; ne os nimis breue reddatur.

Huius methodi suae auctoritatem sibi reperire videtur Ill. LOUIS⁸³⁾ in illo CELSI⁸⁴⁾ loco, quem alii ad iteratam sectionem, alii ad Verduinianam curationem trahendum putarunt: *reducenda sana caro, et circa os subsecanda est, ut ea quoque parte aliquid ossis nudetur.* Mihi vero CELSUS fibrillas carneas ossi circumhaerentes intellexisse videtur, quae, tensis atque reductis musculis, in conspectum veniunt, quas ille vellet subsecari, ne ferrae impedimento essent. Nam si eodem in loco os reciditur, in quo carnes circumsectae fuerant usque ad os, non potest non, propter musculos reducendos, ossis apex quidam existare. Hac de causa praecipit CELSUS, ut primum cutis cum carnibus incidatur usque ad os, deinde, ut musculi reducantur. His reductis vult quidem, ut supra primae sectionis locum, id quod superius fibrarum carnearum circumhaeret ossi, circumsecetur, hisque circumsectis atque abrasis, os quam proxime carnibus retractis, tollatur. Quae cum ita sint, mihi quidem hic indicasse videtur

CELSUS,

83) LOUIS l. c. p. 412.

84) L. VII. C. XXXII.

CELSUS, OS non eodem in loco ubi carnes primum circumsectae fuerint, sed paullo altius recidendum esse, et aequae mihi haec CELSI ratio, ab *iterata sectione*, qua hodie utimur, ac a Louisiano modo discrepare videtur. Potest tamen ille locus ad utramque causam, non sine specie quadam interpretationis, accommodari. Nihil enim facilius est, quod multis exemplis didici, quam veterum auctoritatem quandam in omni curandi ratione reperire, si quaesiveris eam, et ingenio bene uti didiceris.

IV.

ARTERIAE VINCTURA.

Summum in hac chirurgia periculum oritur a sanguinis profusione, cuius tantus olim apud veteres metus erat, ut femur praecidere vix auderent. Verumtamen, vel propter illam CELSI auctoritatem haud existimandum est, veterem chirurgiam, auxiliis ad continendum sanguinem idoneis, destitutam fuisse. Nam digiti, vel duri cuiusdam corporis pressu, et laqueorum ope, sanguinem in ipso opere ruentem continebant. Pressus et laquei vim, in tortili fascia recentiores coniunxerunt. Et satius foret digito⁸⁵⁾, quam tor-

N 3

tili

85) Haec res feliciter successit Cel. LOUIS, eam aliquoties tentanti, et in femoris adeo chirurgia,

tili fascia, vel Petitiana⁸⁶⁾ machina, in ipso opere arteriam comprimere, si in illo pressu constantiae satis posset haberi atque securitatis. Illorum enim artificiorum, quibus recentiores utuntur, multa sunt incommoda. Si femur paullo altius tollendum est, torcularis collocandi vix locus superest opportunus⁸⁷⁾. Deinde

gia, praeter digiti pressum nullum aliud interdum artificium adhibenti. v. Mem. de l'Acad. T. IV. P. II. p. m. 95.

- 86) Nam PETITO solent hoc artificium tribuere, quod diu ante PETITUM, addita etiam figura, descripserat SCULTETUS Armament. Chir. Ed. SPROEGEL. T. XXI. Interim tamen in illo loco PAULI AEGINETAEL. VI. C. LXXXVII. torcularis usum non reperio, in quo tale quid sibi reperire videtur Celeberr. CAMPER Demonstratt. Anatom. Pathol. T. I. p. 15. SCULTETI artificium aetate superius est fascia tortili, quam A. 1674. a MORELLO excogitatam fuisse dicunt. Obiit enim SCULTETUS A. 1641. Qua de re PETITI machina, non Morelliani artificii emendationem, sed Scultetiani imitationem mihi exhibere videtur. MORELLI fasciam (omisso tamen eius nomine) primus laudavit IO. YONGE in libello, qui inscribitur: *Carrus triumphalis e therebinthina, or an Account of the many admirable virtues of Oleum Therebinthinae*, London 1679. p. 30. cf. NUCKII *Experim. Chirurg.* 1692. Exp. XLIX. p. 162. DIONIS T. II. p. 701. PETITI torcular post illam emendationem a PATRE meo propositam, varie immutatum fuit. Nulla tamen, quod ego sciam, emendatio ei contigit, memoria digna.

- 87) Torculare hic utitur Ill. LOUIS, quod brachierio-

inde cutis et musculorum retractus eiusmodi vincitura impeditur, quem omni modo iuvandum esse supra dictum est. Eum vero, qui digito premat arteriam, non prudentem solum atque constantem esse oportet, verum etiam satis validum. Membro praeciso, cuteque deorsum ducta, torcular iniicere commodum est.

Maximum vero, aduersus profusionem sanguinis, auxilium ⁸⁸⁾ positum est in arteriae vincitura, de qua iam paullo fusius disputabo; a PAREO ⁸⁹⁾ hoc artificium vulgo repetere solent, in quo nomine sibi mirifice Galli placeant. Ego vero apud vetustissimos harum rerum scriptores, arteriarum deligationem vsurpatam vidi. Quod enim CELSUS ⁹⁰⁾ eam

N 4

non

chieriorum more abdomini circumduci, ac deinde femori iuxta articulum annecti potest. vid. Mem. de l'Acad. T. IV. p. II. p. 96 seqq.

88) De naturae auxilio supra dixi p. 67. Testimoniis illis pro thrombi veritate a me allatis, addi potest GALENUS L. V. ad Glauconem C. V. AKTIUS Tetrab. IV. Serm. II. C. LI. AEGINETA L. IV. C. LIII. ORIBASIUS in Synopsi ad Eustathium fil. Lib. LVII. C. XX. et de Morb. Curat. L. III. C. XXXVI. Thrombum arteriae post amputationem contingere inter alios nuper negavit IO. AIKIN, scriptor non inclarus, v. on the ligature of Arteries, in Append. ad CH. WHITE Cases in Surgery.

89) L. XI. in Opp. p. 371.

90) L. VII. C. XXXIII. Nam ille locus L. V. C. XXVI. ad aneurisma pertinet ideoque referendus est

non commemorat, hoc ita mihi fecisse videtur, quod breuiter de membrorum chirurgia, et negligenter scriberet. HIPPOCRATES⁹¹⁾ quidem, inter auxilia ad sanguinem continendum idonea refert ἀποληψιν. Caeterum breuiter, vt solet, de hac re scripsit. Et ex illa breuitate manifestum est ἀποληψιν illo tempore haud nouam fuisse, vel inauditam. Paulo fusius de hac re exposuit GALENUS⁹²⁾. *Obturat, inquit, vinculum (βροχος) vasis sanguinem fundentibus iniectum; et paullo post: Sin arteria sit sauciata, iniecto vinculo, sanguinem coercebis.* Fuerunt qui fascias membri circumducendas, a HIPPOCRATE ac GALENO indicari putarent. Hi vero monendi sunt ἀποληψιν et βροχον, arteriae, non membri vincturam vere indicare. Nam ea deligatio, quae fit ope fasciae, σπίθεις dicitur et HIPPOCRATI et GALENO. Apud GALENUM praesertim hoc admodum clare patet. Nam in eodem loco σπίθεις commemorat, et βροχον, h. e. membri, et vasis vincturam, estque ideo in verborum diuersitate notionum manifesta diuer-

est ad Suppl. III. p. 92. *Veπae, quae sanguinem fundunt, apprehendendae, circaque id quod istum est uoibus locis deligandae, intercidendaeque, ut in se ipsae coeant.*

91) v. Sect. VII. de morbis vulgaribus L. VI. p. 287. Ed. F O E S I I. Eandem vim καταληψις habet, in libro de Medico Opp. T. I. p. 22.

92) Method. med. ad Glauconem L. V. C. III. cf. C. V. vbi eodem vocabulo utitur.

diuersitas. Eandem rem eodem vocabulo expressit PAULUS AEGINETA⁹³⁾. *Magnis interdum venis laqueum* (βροχον) *inticare cogimur*. Ita pariter ab ALBUCASI⁹⁴⁾ praeceptum legimus, vt *arteria ligetur cum filo, ligatione forti*.

Sunt nonnulli, qui hanc veterum auctoritatem, ab ipso PAREO vsurpatam, non ignorant, in minoribus quidem arteriis deligationem ab illis tentatam fuisse putent, in maioribus vero id ante PAREUM tentasse neminem. In aneurismatis quidem chirurgia, quam sit vetus arteriae deligatio, supra ostendi⁹⁵⁾. Et ex illis testimoniis manifestum est, maiorum arteriarum vincturam, neque ignorasse veteres, neque extimescendam putasse.

N 5

In

93) L. IV. C. LIII. Iisdem fere verbis arteriae deligationem expressit AETIUS Tetr. IV. Serm. II. C. LI.

94) vid. ALBUCASIS Chirurgia P. I. C. LVIII. ad finem. Differit in eo capite de sanguinis profusione in vniuersum. In P. II. C. LXXXIX. vbi de amputatione differitur, de vinculo nihil monet. Magis adhuc obscura res est in AVICENNA L. IV. Fen. IV. Tr. II. C. XVII.

95) Suppl. III. p. 92. Recte intelligendus est HALLERUS in Method. Stud. med. p. 728. qui a IO. BAPT. SYLVATICI, aneurismatis deligationem illo tempore restitutam fuisse scribit. Nam illa deligatio eo tempore haud negligebatur, poteratque omnibus ex GUIDONE, VESALIO et ipso PAREO nota esse, quorum scripta paullo ante SYLVATICI Tr. de Aneurism. (1595) prodierant.

In amputatione membrorum, neque a HIPPOCRATE et GALENO, neque a caeteris arteriae vincitura commemoratur. Monendum tamen est, neminem fere Graecorum de hac chirurgia diligenter scripsisse. Nam rarius olim eius erat opportunitas, quam pulveris pyrii vsu crebriorem factam esse existimo. Membra propter gangraenam solum recidebant veteres chirurgi, in ossium affectibus diligentiores. Erat autem communis olim opinio⁹⁶⁾, in vulneribus gangraena vitiatas, candente ferro, in puris ac recentibus, arteriae deligatione, sanguinem cohibendum esse, quod et a IAC. GUILLEMEAU repetitum video, et ab omnibus fere superiore saeculo vsurpatum. Inde in aneurismate deligationem, in amputatione ferrum candens plerumque vsurpabatur.

Verumtamen cum nuper in ORIBASII⁹⁷⁾ Librum XLVII. qui exstat in ANT. COCHII, Doctissimi

96) vid. infra, ubi varios deligationis modos commemorabimus.

97) Diu iauerat Lib. XLVII. Medicinal. Collect. ORIBASII, inter alios Codd. Mistos in illo NICETAE thesauro. Nuper demum cum aliis ORIBASII et SORANI fragmentis, eum in lucem edidit ANT. COCCHI hoc quidem indice: Graecorum chirurgici libri, SORANI vnus de Fracturarum signis, ORIBASII duo de Fractis et de Luxatis, e Collatione NICETAE, ab antiquissimo Codice Florentino descripti, conuersi, atque editi ab ANT. COCCHI, Florentiae 1754. ARCHIGENIS Sermo

Doctissimi Viri, collectione, incidissem, ARCHIGENIS fragmentum de amputatione relegens equidem, arteriae deligationem ab eo commendatam vidi. Superest tamen in illo loco difficultas quaedam. *Antequam praecidatur membrum*, inquit ARCHIGENES, ἀποβροχιστέον ἢ διαρραπτέον τὰ φέροντα τῶν ἀγγείων ἐπὶ τὴν τόμην. Primum quidem ἀποβροχιστέον τὰ ἀγγεία hanc vim habet: *vasa laqueo constringenda sunt*. Laqueus autem membro, an arteriae nudae iniiciendus sit, clare non patet. Ego vero illos hic laqueos intelligi puto, quorum tunc magnus erat in vincendis membris usus, quod patet ex ipsius ORIBASII libro de laqueis et fasciis. In illo autem vocabulo διαρραπτέον, ipsius arteriae deligationem acu perficiendam indicari, nullum mihi dubium superest. Minus accurate, quod nobis videtur, hunc locum vertit Doctiss. Interpres *vasa consuenda sunt*. Nam vasa, quomodo consui possunt, quae nondum praecisa fuerunt? Qua de re διαρραπτέον τὰ ἀγγεία sic interpretandum est, *vasa traiecta acu liganda sunt*. Sutura enim hic intelligi nequit, verumtamen acus aliquod ministerium, illud διαρραπτέον semper indicat. Nam ἄραπτω dicitur ῥαφή, acus. Forte etiam διαρράπτω maiorem

mo de Amputat. extat p. 154 seq. In eodem ORIBASII libro brevis de amputatione descriptio a HELIODORO concinnata superest, quae nihil proprii habet, p. 157 seq.

maiolem vim habet quam *εάπτω*, vt significet acum traicere.

Caeterum parum interest, cuius ex ingenio profectum sit auxilium, quod bonum est. PAREO sane haec laus debetur, quod primus, vel illo tempore, eximiam hanc rationem a contemptu et obliuione vindicauit. Quod autem omnibus accidit, qui neglecta pristina ratione nouam aliquam, vel certe inauditam proponunt, id PAREO quoque accidisse videmus. Etenim magnos haec res ei atque seueros aduersarios contraxit, qui scriptis eum peterent ignominiosis. Inter hos acerbiorem nullum habuit, quam STEPHANUM GOURMELIN⁹⁸), Medicum Gallum, chirurgiae doctrina et peritia non inciarum. *Mule, inquit, et nimium arroganter, inconsultus et temerarius quidam, vasorum vstionem, post emortui membri resectionem, a veteribus omnibus plurimum commendatam, et semper probatam, damnare ausus est, nouum quandam deligandi vasa modum, contra veteres omnes medicos, sine ratione, sine experientia et iudicio, docere cupiens; nec animaduertit, maiora multo pericula, ex ipsa noua vasorum deligatione, (quam acu partem sanam profunde transfigendo administrare vult), imminere, quam ex ipsa vstione. — Quod si quis nouum hunc leniatum expertus, incolumis euaserit, is Deo Opt. Max. (cuius beneficentia,*

98) vid. Ei. Chirurgia, Parisiis 1580. L. II. p. 124 seq.

ficentia crudelitate ista et carnificina liberatus est), maximas gratias habere et semper agere debet. A nemine fere illa PAREI ratio in Gallia olim probata fuit, quam a IAC. GUILLEMEAU⁹⁹⁾, discipulo PAREI atque amico. Primus inter Gallos scriptores eam commendavit P. DIONIS, coepitque illa in eunte demum hoc saeculo in valetudinariis Parisinis vsurpari, quod a magistris ibi meis accepi. Serio quoque deligationem vituperarunt Celeberrimi olim Chirurghi, MARC. AURELIIUS SEVERINUS¹⁰⁰⁾, et huius discipulus, IO. V. HORNE¹⁰¹⁾, ANT. NUCK¹⁰²⁾, CORN. V. SOLINGEN¹⁰³⁾ et IO. HELFRICUS IUNGKEN¹⁰⁴⁾. In Germania primum fere coepit eximia illa methodus vsurpari a FABR. HILDANO¹⁰⁵⁾ et IO. SCULTETO¹⁰⁶⁾, qui tamen neque

99) Operations de Chir. Tr. VII. Ch. V. in Oeuvres de Chir. p. 703. In gangraena quidem ferrum candens vsurpabat.

100) vid. M. AUREL. SEVERINI de recondita abscessuum natura L. II. P. I. C. IX. p. 243. Neapoli 1632.

101) In Microtechnie Ed. PAULI 1707. p. 485. Commendat lycoperdon.

102) Operatt. et Experim. Chir. Exp. XLIX. p. 163. Vtitur lycoperdo.

103) Hic quidem moderatior est in reprehendenda arteriae deligatione. Candens ferrum in gangraena praefert, vid. Ei. Manuale Operationen der Chirurgie p. 251.

104) Chirurgia manualis, Frf. 1700. Sect. II. Operatt. III. et IV. C. XI. p. 469.

105) De Gangraena et Sphacelo C. XVII. in Opp. p. 814

que candentis ferri, neque stypticae medicinae usum negligerent. Uterque breuiter ac minus diligenter de ea re scriptit.

Sunt etiam hodie permulti, qui deligationem, vel in brachio et crure, superuacaneam existiment, fungo et linamentis motum sanguinis continentes; et vidi equidem exercitatissimos quosdam viros, qui ea ratione feliciter vterentur. Cel. POUTEAU¹⁰⁷⁾ pulvillos, vel agarici frustula, praecisae arteriae superimponit, quo facto chartam paullo firmiorem linteo inuolutam, trunco transuersim obiicit, fasciae ope fulciendam. Videndum tamen est, ne carnes tali ratione nimis reducantur. Deinde etsi bene intelligo, hanc fungorum et fasciarum vim, sanguini reprimendo et continendo parem esse, superest tamen in fascia adstrictiore stuporis et gangraenae metus, in laxiore nouae profusionis periculum imminet. Fungi enim, sine linamentorum

p. 814 seqq. Iunioribus maxime, deligationem commendat et in fortioribus; in infirmis, nescio cur, profusionem sanguinis magis extimescens. Plurimum extollit in membris gangraena vitiatas *causarium cultellare* p. 813. siue cultrum candentem. Hoc instrumentum iam olim commemorauerat BARTHOLOMAEUS MAGGIUS de vulneribus sclopetorum 1552. in Gesneriana Collect. p. 267. et qui eiusdem est aetatis ANDR. VESALIUS, vid. Ei. Chirurgia magna L. V. C. XII. p. 343 seqq.

106) vid. Ei. Armament. Chir. p. 144.

107) *Mélanges de Chirurgie* p. 355 seqq.

rum ope, parum valent in maioribus arteriis praeccludendis. Et si quos video, qui agarico sanguinem se feliciter continuisse dicant, id puluillis (*plumaceaux*) magis et fasciis, quam agarico tribuendum puto. Ita Cl. THEDEN¹⁰⁸), Chirurgus Berolinensis Celeberrimus, sine agarico olim, solis linamentis supra arteriam fulciendis, profusionem sanguinis in membrorum chirurgia cohibuit. Ille enim arteriae deligationem inutilem existimans, glomerulum e linteis carptis confectum arteriae praecisae immittit, aliis glomerulis (*sindons*) quorum crassitudinis et magnitudinis modus sensim augetur fulciendum, ita ut inuersi conifigura exprimatur. His deinde pannos linteos quamplurimos superimponit, quorum alios a latere collocat, ut accedente fasciarum ope, a latere princeps arteria simul comprimat. Alium nuper modum proposuit Cl. FABRE¹⁰⁹). Agarico vel puluillo, arteriae immisso, et vesica deinde membri trunco superimposita, sanguinem contineri posse, sibi persuadet: *Je prendrais une vessie de boeuf, ou cochon trempée dans l'eau tiède pour la rendre bien*

108) *Bemerkungen der Wundarzneykunst von IO. CHR. ANT. THEDEN* 1771. p. 41.

109) *Essais sur differents points de Physiologie, Pathologie & Chirurgie* p. 160 seqq. Vesicae quaedam usus nouus haud est in membri deligatione, qui iam superiore saeculo a nonnullis reprehenditur, vid. DIONIS T. II. p. 755.

bien souple. J'en envelopperois le moignon, & pour éviter qu'elle ne se fronçât à sa circonférence, je ferois sur les cotés deux grandes plis, que je coucherois dans le sens, que la bande destinée à la fixer, seroit roulée autour du moignon. Duo nobis in hac ratione metuenda esse videntur, primum, ne plicae illae vesicae membrum laceffant, deinde ne carnes vesicae funum trahantur.

Vt vero ad deligationem reuertar, sunt eius instituendae duo modi. Nam vel forcipe arteria prenditur, filo deinde circumliganda vel traiecta per carnes acu filum ei superinducitur. Acu tunc demum AMBR. PARE¹¹⁰⁾ et IAC. GUILLEMEAU¹¹¹⁾ utebantur, cum diducto filo in carnium latebras arteria se abscondisset, ut prehendi ea atque educi non posset. Sunt autem utriusque modi differentiae quaedam. Forcipe sic utebatur PAREUS, ut eius ope arteriam apprehenderet, circumiecto filo deligendam, IAC. GUILLEMEAU forcipem PAREI elatere ornabat, ut sine ministri auxilio, ille arteriam prehensam contineret. Superiore saeculo hac forcipe ita coeperant uti, ut filum eius rostro iniicerent, arteriae deinde iniiciendum. Dicitur haec forceps elatere munita *valet à patin*, quo nomine haud nouum instrumentum, sed veteris instrumenti nouus vsus indicatur. Est enim

110) l. c. p. 371.

111) l. c. p. 703.

enim illud a IAC. GUILLEMEAU ¹¹²⁾ delineatum, superiore vero saeculo coeperunt hac forcipe ea ratione uti, quam figuris expressam videmus a P. DIONIS ¹¹³⁾ et FABRICIO HILDANO ¹¹⁴⁾. HILDANUS quidem, si filum retracta arteria diduceretur, alia forcipe, cuius rostrum acutum esset ac tenue, arteriam e carniū latebris reducebat. Acum neque a HILDANO, neque a SCULTETO usurpatam video. Hodie simpliciore illam arteriae vincituram neglexerunt. Recte tamen monet Cl. AIKIN ¹¹⁵⁾, posse, solius forcipis ministerio, totum deligationis opus perfici, idque in nonnullis valetudinariis Londinensibus feliciter hoc modo perfici, testatur.

Supereſt, ut alterius modi, qui acu perficitur, vicissitudines breuiter enarrem. Vulgo non intelligunt, quae fuerit PAREI ratio.
Ille

112) Arsenal. de Chirurgie, vid. Oeuvres de Chirurg. p. 509. Hanc figuram cum GARENGEOTI figura comparanti, facile apparebit, hoc instrumentum non superiore demum saeculo excogitatum fuisse. Errat PETITUS Med. vid. Mem. de l'Acad. des Sc. A. 1732. p. 228. et GARENGEOT Tr. des Instrum. T. I. p. 13.

113) l. c. T. II. Tab. XLVII Laudat hanc rationem SOLINGEN l. c. p. 253.

114) De Gangr. C. XIX. Opp. p. 817. 818.

115) l. c. Ita quoque sola forcipe usus est DE LA MORTE Tr. Complet de Chir. T. III. p. 425. Eam rationem laudauit nuper CH. WHITE, vid. Cases in Surgery.

Ille autem acum triplex filum trahentem et anticipem, superius in cutem et musculos coniciebat, quae deinde ab opposito latere de cute emergeret; tali ratione in filum comprehensa arteria, illud supra splenium constringebat. Ex his itaque apparet, PAREUM eadem ratione usum esse, quam ab ARCHIGENE olim propositam vidimus, nisi quod ARCHIGENES ante opus hanc deligationem institueret. PAREI modum accuratius fere ipso PAREO descripsit, amicus Viri, IAC. GUILLEMEAU, et vehementer commendavit. Repetiit eam et immutavit P. DIONIS¹¹⁶⁾, qui duabus acubus utebatur, vnum idemque filum trahentibus. Haec tamen ratio iam fere cuii-vit, quod in illa PAREI auctoritate vehementer miror. Periculi et molestiae plenam hanc methodum existimat, CORN. V. SOLINGEN¹¹⁷⁾, cuius tamen auctoritate plus valet PAREI ac caeterorum observatio, qui cum fructu eam usurperunt. Fuerunt etiam nonnulli, qui, arteria forcipis ope apprehensa, acum rectam simplex filum ducentem, per medium vas traicerent, et acueducta filum sursum deorsumque vasi circumducerent.

Com-

116) l. c. p. 745. cf. p. 751. PAREUM vulgo credunt eam rationem usurpasse, qua hodie maxime utamur, et quam prae caeteris descripsit PATER meus. In qua re lapsi sunt paene omnes, ipseque PETITUS, in cuius narratione multos ego errores deprehendi Mem. de l'Acad. des Sc. l. c.

117) l. c. p. 253.

Commemorat hunc modum DIONIS¹¹⁸⁾, eumque ex SOLINGENIO¹¹⁹⁾ hausisse videtur. Vltimus denique modus vasa deligandi is est, quem PATER meus §. 242. descripsit, et quem a PAREO vulgo putant vsurpatum fuisse, quod falsum esse iam ostendi. Interim tamen SOLINGENII¹²⁰⁾ iam tum tempore, haec ratio caeteris vsitatior erat, quod ex verbis eius apparet. Verumtamen ante SOLINGENIUM nemo, quod ego sciam, eam commemoravit. Primus etiam ille fuit, qui acu curua vteretur. A SOLINGENIO suam videtur descriptionem petisse P. DIONIS¹²¹⁾, qui plurimum illius

O 2

scriptis

118) l. c. p. 745.

119) l. c. p. 252.

120) Ibidem.

121) l. c. p. 751. Vna tantum acu opus est. Neque aliter sentiunt Celeberrimi Chirurghi. Qua de re non video, quid, vel ideo, obscuritatis accuset PATREM meum belgicus Germanicae Chirurgiae Interpreter Doctiss. quod duas ille acus non commemorarit. vid. *Handleiding tot de Chirurgie, volgens het Hoogduitsch van den Heer I. Z. PLATNER, met veele nieuwe Aanmerkingen verrykt door M. HOUTTUYN, Med. Doct Amst. 1764. ad §. 263. Peculiarem acum (vid. Fig. nostr. Tab. III. fig. I.) invenit Medicus Monspeliensis, D. CASA MAIOR. V. GUISSARD Pratique de Chirurgie, cui libro inventoris descriptio praemissa est. Duplici acu (vid. Fig. nostr. Tab. III. fig. II.) vtitur Cel. RAVATON. Tr. des Playes d'Armes à feu p. 415 seqq. Pour se servir de cette double aiguille, on commence par proportionner l'écartement de ses lames au volume du vaisseau. On introduit en suite l'un des bouts de la ligature,*

dans

scriptis vteretur. Hunc modum plerique recentiorum vsurparunt. Sunt inter hos, qui forcipe elatere instructa (*valet à patin*) arteriam prehendant, sicuti et a PATRE meo praeceptum est, arteriamque deinde devinciant, quam rationem iam olim GARENGETO^m), et aliis nuper video displicuisse. Eius tamen instrumenti vsus neque in Parisinis, neque in Londinensibus valetudinariis euilivit, quo et Venerandus MOREAU et Celeb. BRONFIELD vtatur. Dentes illi acuti, qui vtrinque de interna rostri superficie emergunt, mihi alieni esse videntur, possentque salua eius firmitate abesse.

Parum de carnibus, an multum, in vincituram debeat comprehendi, non clare patet in PATRIS mei Institutt. §. 243. Nonnulli metuunt, ne carnibus ligatis inflammatio exacerbetur, cum violentiore dolore. PAREUS olim ab hoc metu chirurgos reuocavit, qui et in forcipis

dans le trou de l'une des aiguilles, & l'autre bout dans le trou de l'autre aiguille de dehors en dedans, on l'enfonce ensuite en écartant le nerf avec l'une de ses pointes, ou avec le doigt indicateur de la main gauche, ce qui est fort aisé, & on fait glisser la pointe entre deux; mais on embarrasse deux ou trois lignes des chairs, du côté opposé pour affermir la ligature; on fait ressortir la pointe suivant l'usage, on tire les fils en rubans; on retire à soi l'instrument, & on acheve le reste à l'ordinaire.

122) Instruments de Chir. T. I. p. 220. Vehementer quoque hanc forcipem reprehendit Cl. THEODEN *Bemerkungen* p. 41.

forcipis et in acus vsu, carnum circumfusarum tantillum comprehenderet. Nonnulli vero hanc vincturam paullo ampliorem esse volunt, suntque inter hos Clarissimi chirurgiae Magistri, R. CR. DE GARENGEOT¹²³⁾, H. F. LE DRAN¹²⁴⁾, CLAUD. POUTEAU¹²⁵⁾ et alii. Ita enim firmiorem fore deligationem existimant. Metuunt quidem ne filum excutiat, dum nudae illud arteriae iniiciatur (Institut. §. 243). Verumtamen ideo haud oportet multum carnis circumligari, sufficit enim, vitatis carnibus, circumfusam telam cellulofam in filum comprehendere, vti, iam PATRIS mei tempore, monitum est ab AL. MONRO¹²⁶⁾, Celeberr. inter Britannos Chirurgo, nuperque a Cel. LOUIS¹²⁷⁾. Nam illa intumescente sanguis retardatur, compressa quaquaversum arteria. Sunt autem carnes, propter

O 3

123) Tr. des Operations T. III. Art. III. §. 39.

124) Operations de Chirurgie p. 561.

125) Melanges de Chirurgie p. 353.

126) In the Medical Essays by a Society in Edinburg, Vol. IV. Obs. 21.

127) Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 481 seqq. Idem sentit Cl. GOOCH Cases and Practical Remarks in Surgery, p. 127. Arteriam ab intumescente tela cellulosa comprimi negavit nuper Cel. AIKIN vid. App. ad CH. WHITE Cases in Surgery. Nam sanguinis profusionem sine tali tumore retardatam, vidit. Arteriae contractu sanguinem reprimi credit, ideoque nudam arteriam devinciendam esse, neque sic filum diduci, quod plerique metuant.

pter ipsam vincturae firmitatem, meo quidem iudicio, vitandae. Etenim eae filo laceffitae retrahere se gestiunt naturali quadam molitione, interdumque retrahuntur diducto vinculo. Sunt vero et aliae huius rationis incommoda. Nam deuinctis carnibus, serius decidere solet, quod deligatum est. Inde accidit quandoque, vt truncus fanescat, antequam exciderit vinctura. Haec autem res magnam parit molestiam, praesertim si noua caro, vel qualiscunque illa materia de area trunci emergens, vincturae superinducitur. Tunc enim vinculum, sine metu sanguinis, abscindi nequit. Hoc autem intus relicto, metus est, ne putrescente, cum deligata carne, arteria, malum et profundum vlcus oriatur. Vt itaque citius emoriatur, quod deuinctum est, expedit filum paullo fortius adstringere. In femore tamen eam vincturam paullo laxiorem esse oportet. In eo enim tardior est trunci fanatio. Vinctura autem nimis cito cadente, sanguis interdum reuertitur, vase nondum coalito vel obtecto. Illa intus remanente, noua febris oritur cum acerbissimo dolore. Eam vero aequae non decet vi auellere, ac intus sinere. Plerique splenium arteriae superimponunt; fatius tamen est eam nudam devincire, vt compresso vase, parietes eius aduersi glutinentur, et coalescant. Cauendum etiam est, quod PATER meus in Chirurgia Germanica monuit, ne fila nimis longa propendeant.

pendeant. Ea enim puris et sanguinis ope, ad lintea carpta agglutinantur, et his demendis verendum est, ne vincitura labefactetur.

V.

DE TRVNCI CVRATIONE.

Ab antiquissimis inde Chirurgiae magistris praeceptum legimus, vt osse resecto, cutis cum subiecta carne adducatur ibique fasciarum ope contineatur. Quam legem, non studio et ingenio quaesitam, sed experientia ipsa oblatam, eo sanctius ego colendam esse puto, quo maiorem ei non antiquitas solum, sed ratio quoque religionem imponat. Nam reductis carnibus os extare, idque grauissimo impedimento esse nemo ignorat. Quapropter vix intelligo Celeberr. P O U T E A U¹²⁸), doctum et expertum Virum, qui abrogare nuper hanc legem studuit. Verum tamen argumentis ille vsus est ad persuadendum idoneis. Nulla enim opera dicit effectum iri, vt carnes contineantur; laxiorem vincituram parum vel nihil valere, adstrictiorem alienam esse, qua sanguinis per venas reditus impediatur, truncusque gangraenae opportunus reddatur; ideoque satius esse, naturae truncum committere, prudentius arte ac melius agenti; nam adducendis mollibus partibus,

O 4

naturale

128) *Mélanges de Chirurgie. Sur les Dangers de la Compression circulaire p. 359 seqq.*

naturale illud sanationis auxilium impediri. Primum vero cutem ipsasque carnes, deorsum vrgeri posse, etsi non ignoro plures de ea re dubitare, obseruatione compertum est. Et cur non aequè possint muscoli artis auxilio deorsum duci et contineri, ac naturali molitione, (de qua quidem nemo dubitat), illi retrahuntur. Si enim natura, quod multi putant, carnes hic immobiles praestitit, neque sursum poterunt reduci, neque deorsum. Quodsi vero reduci possunt, quidni possint adduci? Verum quidem est, non omnes musculos libere circa ossa membrorum fluctuare, esseque multos et magnos, qui quaquaversum ei et vndiquaque adhaereant. Interim tamen fibrae illae, quibus ad ossa muscoli se adplicant, mox vbi de osse emerferunt, vel rectae, vel obliquae excurrunt, ita vt non tota caro, sed eius tantum interior superficies ossi adnectatur. Ex his intelligitur, esse et naturae in reducendis, et artis in adducendis carnibus, vim quandam agnoscendam. Vt omittam, musculos nonnullos fere liberos esse, quorum retractus, maximam difficultatem pariat. Quid fasciae, etiam laxiores, valeant, deinceps perquirendum.

PAREUS¹²⁹⁾ quidem *futura cruciata*, quam dicunt, cutem iubet continere, eamque rationem, vt opinor, in Italia didicit, vbi plurimum ille profecerat, vel ex BARTHOL.

MAG-

129) L. XI. C. XXI. p. 371.

MAGGIO ¹³⁰⁾ hausit, qui paullo ante PAREUM de hac re scripserat. Laudat enim MAGGIUS Venetorum liëtorum rationem, qui eiusmodi fere futura utebantur: *Venetorum liëtoret, inquit, facinoroso alicui homini manum excisuri, pellem, eo quem diximus modo, ad superiora contrahunt et post manus amputationem, illico contractam pellem laxant, et diligenter circa iuncturam consuunt.* Hanc rationem, quam miror a IAC. GUILLEMEAU ¹³¹⁾ silentio praetermissam esse, fecutus est M. AUREL. SEVERINUS ¹³²⁾, IO. VIGIER ¹³³⁾, IAC. BELLOSTE ¹³⁴⁾ et MATTH. GOTTFR. PURMANN ¹³⁵⁾ eximius nuper Chirurgus, aliique exercitatissimi viri. Plerique tamen hanc futuram vituperarunt, ut FABR. HILDANUS ¹³⁶⁾, CORN. V. SOLINGEN ¹³⁷⁾, P. DIONIS ¹³⁸⁾ et IO. MUNNIKS ¹³⁹⁾. Interim hanc methodum,

O 5

quae

130) vid. BARTHOL. MAGGII Lib. de vuln. sclopet. Bonon. 1552. in Collect. GESNERI, p. 269.

131) l. c. p. 713.

132) vid. MARC. AUREL. SEVERINI de Medicina efficaci C. CXXIV. p. 128. Edimb. 1646.

133) Chirurg. L. I. p. 30.

134) Chirurgien d'Hospital Sect. III. C. VI.

135) vid. Ei. Lorbeerkrantz der Wundartzneykunst p. 917.

136) De Gangr. C. XIX. p. 915.

137) Manuale Operationen p. 358. Ab hac futura gangraenam reuocatam vidit, ita ut amputatio iterum suscipienda esset.

138) l. c. T. II. p. 755.

139) Praxis Chirurg. L. I. C. XVII. p. 171 seqq. Ex his

quae iam fere explosa videbatur, denuo in scenam produxit SAM. SHARP¹⁴⁰⁾, qui et fuscè eam descripsit, et vehementer commendavit, ita tamen ut ea haud semper opus esse concederet. In vniuersa quidem huius methodi censura, facile est iudicare, eam grauià incommoda parere. Carnes enim primum fortiter adducuntur, et adductae cuti, annectuntur. Quae si peracta futura iterum se retrahere gestiunt, tunc non potest non euenire, quin fila decussatim supra trunci faciem excurrentia, simul retrahantur. Quae tali modo retracta atque intensa, carnes, et in fronte trunci, et in quatuor illis angulis, per quos acus traiecta fuerit, laceissent, exacerbata etiam inflammatione. Interim tamen in illa SHARPII experientia alienum foret, hanc rationem totam repudiare. In ea enim me semper opinione fuisse profiteor, ut, si veterem quandam et obsoletam medendi rationem, renovatam viderem magni cuiusdam viri studio atque adornatam, in ea nihil boni non esse, putarem. Etenim bona ingenia a mediocribus in eo vel maxime discrepant, quod illa proprios errores et novos facilius pariant, quam

his testimoniis apparet, silentio a scriptoribus hanc futuram non praetermissam fuisse, quos ideo sine causa reprehendit Ill. LOUIS Mem. T. II. P. II. p. 246 seq.

140) Enquiry p. 285. Treatise of the Operations Edimb. 1761. p. 220. Nam in priore Editione huius libri nihil de hac futura monuit.

quam probent alienos, haec contra alienis erroribus probandis magis fallantur, quam nouis gignendis. SHARPIUM nuper contra Celeb. LOUIS defendit Cl. BAGIEU ⁴¹⁾, mauultque, (vt ab illis incommodis haec futura liberetur,) reductis adhuc carnibus et fascia deligatis, eam instituere, eaque demum peracta fasciam soluere, et carnes cum suis inuolucris adducere, ne his retrahendis, fila nimis intendantur.

Glutinantia emplastra an recte nuper improbata sint ab Ill. LOUIS ⁴²⁾ me peritiores videant. In cute tantum, vti Celeberr. Viro placet, vim suam exserunt, ad carnes continendas parum valitura. Quodsi vero haec illis potentia tribuatur, vt cutem contineant, eorum quoque in musculis firmandis qualemcunque vsum esse, vix poterit negari. Musculi enim, cellulosarum fibrarum ope inuolucris adhaerent. Quapropter firmatis his, illos etiam aliquantum contineri, a vero equidem propius arbitror.

Ad

141) Examen T. I. p. 327.

142) Mem. T. II. P. II. p. 247 seq. Caeterum primus Ille inter Gallos fascias illas vulgares reiecit p. 486. *Mirror Expertiss. sive Chirurgum apud Parisinos Celeberr. pristinam illam deligandi rationem totam retinuisse.* v. Ei. *Traité des Bandages et des Appareils* 1761. p. 184 seqq. Ita etiam PORTAL *Precis de Chirurgie* p. 763. A. F. PALLAS *Chirurgie* §. 68. et *Expertiss. THEDEN Bemerkungen* p. 45.

Ad fascias progredior. In harum vniuerso delectu et vsu eo respiciendum est, vt molles partes deorsum contineantur. Et primo quidem nihil magis alienum est, quam si truncus, in quotidiano deligationis negotio attollitur. Quam plerorumque Chirurgorum consuetudinem recte vituperavit Celeberr. LOUIS⁽⁴³⁾). Nam trunco inflexo, musculos retrahi itaque os nudari clare patet. Qua de re expedit aegrum sic collocare, vt truncus paullo sit inclinatus. Sic enim carnes minime intenduntur. In eoque situ, per totum curationis tempus, truncum oportet contineri, Summa vero adhibenda est diligentia, vt in hoc situ permaneat truncus, dum ille deligatur. Hoc enim reclinato, inflexo, et ad vtrumque latus dimoto, non os tantum, quod supra dixi, retractis carnibus nudatur, sed vulnus etiam, propter hanc musculorum agitationem, qui nunc relaxantur, nunc intenduntur, in circuitu et fronte sua, inaequale efficitur atque hiulcum. Recte quoque vituperatur hodie consuetarum fasciarum suppellectilis illa, quam miror a scriptoribus non inclaris commendari (not. 142.). Nam pannus cruciatus (*Croix de Malthe*) illaque linamenta
(*longues-*

143) Mem. de l'Acad. T. IV. P. II. p. 76. Plurimum confert, si spongia, in quavis deligatione, trunco obicitur. Serio hanc rationem commendat WHITE L. C. et TH. KIRKLAND, vid. the Medical Inquiries Vol. II. Art. XXIII.

(*longuettes*), quae super hunc decussatim collocari solent, sursum vrgent molles partes, easque angulis suis laceffunt. Fasciam etiam non ascendere oportet, sed descendere, desinereque iuxta marginem trunci. Expedit vero fasciam, quae sic descendat, in orbem circumducere, quam deligandi rationem, a veteribus iamtum vsurpatam, vehementer commendat Celeb. SHARP¹⁴⁴) et Cl. LOUIS¹⁴⁵). Ea tamen vehementer displicet Cl. POUTEAU¹⁴⁵), cui et inutilis ea, et perniciofa videatur. Veretur quidem Celeberr. Vir, ne fascia orbiculata, venas praesertim comprimendo, sanguinis reditum intercipiat. Cum enim ipse aliquando hunc modum a Celeb. LOUIS commendatum tentaret, truncum postridie praetumidum vidit, quod propter fasciae vim accidisse putaret. Interim tamen suspicio haud inanis in illo exemplo superest, nimis fortasse vincituram adstrinxisse Cl. Virum. Laxiorem enim fasciam ad continendas carnes parum vel nihil valere, persuasum habet. Est aliquid in hoc argumento ad persuadendum idoneum. Verum tamen id in specie magis quadam, quam in robore veri positum mihi esse videtur. Nam fascia etiam laxior cutem et carnem continebit, firmando vtramque, et roborando. Fascias enim
in

144) Treatise of the Operations p. 218.

145) Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 487.

146) Melanges de Chirurgie p. 359 seqq

in vniuersum hac vi praeditas esse, multa obseruatione compertum est. Atqui a laxitate mollium partium earum retractus vel maxime pendet. At hae partes firmatae magis retrahentur. — Scholam redolet haec obiectio, neque multis, ad eam diluendam argumentis opus est. Tantum enim robor fasciae non impertiuntur musculis, vt contractiores inde fiant. Neque in contractu, sed in contrahendi ac tendendi libertate robor cernitur. Sunt vero aliae rationes, quae orbicularis fasciae vsum probent. Vinctura talis, etiamsi haud immodice fuerit adstricta, in cute vim haud contemnendam exseret. Atqui hac adducta carnes aliquantum contineri supra ostendi. Deinde huius vincturae ope, resistitur tenuiorum humorum, in trunci loculos adiposos adfluentium, vndae, et venae, quas comprimi putat Cel. POU TEAU, firmari potius mihi videntur, vt sugendis ac reducendis humoribus melius vacare possint. Quod venarum ministerium, fascia orbiculata mirum in modum iuari, multis ego possem summorum virorum testimoniis comprobare. Ex his argumentis clare patet, (quod etiam obseruatio docuit), hanc vincturam, modo haud nimis adstricta fuerit, dissipare potius tumoris materiam, quam contrahere, ideoque ad auertendam ossis eminentiam haud parum valere.

Interim tamen summa quandoque chirurgi prudentia, illa vitari nequit, quod mi-
ror

TOT a PATRE meo praetermissum esse. Orta nuper est magna super hac re inter peritissimos Chirurgos dissensio, cum in Acad. Chir. Reg. conuentu haec quaestio agitaretur. Cel. LOUIS ¹⁴⁷⁾ et Cl. BAGIEU ¹⁴⁸⁾ ferra recidendam esse dixerunt ossis partem extantem. Cl. ANDOUILLE ¹⁴⁹⁾ naturae molitioni maluit hanc rem committi. Monendi vero sunt tirones, magnum hanc rem discrimen accipere, prout vel periosteo obtectum fuerit os, vel eo destitutum. Si nudatum illud est, quod accidit laceffito periosteo et inflammato, tum solet interdum illud, naturae quadam molitione (*exfoliatione*) sensim abscedere. Observatio tamen docuit, et raro eam perfici, et sero contingere, quae tres vel quatuor interdum menses frustra expectetur. Maior spes est, ossis apice nudato et corrupto. Recte itaque, vt nostra fert opinio, dixit Celeb. BAGIEU, os quod integrum et periosteo inuolutum promineat, ferra tollendum esse, nudatum et alienatum, sinendum. Interdum vero, paruulae hinc inde testae de osse abscedere machinantur, sine perfecta *exfoliatione*, quae res inani spe trahere potest exercitatissimum chirurgum. In iuuando illo naturae auxilio, magni vsus est aqua phagadaenica

147) Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 253 seqq.

148) Mem. de l'Acad. ibid. cf. BAGIEU *Examen* T. I. p. 351 seqq.

149) Mem. de l'Acad. ibid.

daenica, teste Cl. ANDOUILLE¹⁵⁰⁾). Si vero ossis apex vel nudatus non est, vel alia de causa immotus haeret, ferra ille tollendus est, quod remedium superiorum saeculorum Chirurgis non ignotum feliciter tentavit Cl. VEYRET¹⁵¹⁾). De carne circumhaerente simul aliquid scalpello tollendum est. Id vero paucum esse oportet. Si os alienatum est, vitiumque altius haeret ea sede, in qua os praeciditur, tunc bonum esse sibi persuadet Ill. LOUIS, si apex ossis de carnibus extet, monetque adeo chirurgos, ut hoc efficere studeant quacunque ratione. Sic enim existimat, naturae molitionem et medicamentis et leni agitatione optime iuvari posse. Certum est, in tali exemplo resectionem haud tentandam esse. An vero ossis eminentia, vel propter hanc causam, expetenda sit, me peritiores iudicent.

Est adhuc quaedam circa arteriae vincturam observatio necessaria. Si id quod deligatum est, intus remanet, carnosum, vel qualicumque illa materia, iam superinducta; tunc
noua

150) Mem. de l'Acad.

151) Observation sur la Résection de l'os après l'amputation de la Cuisse, Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 259. Iterata ossis resectio periculosa videtur Cl. RAVATON Tr. des Playes d'Armes à feu p. 404. MAGGIUS olim FABRICIUS AB AQUAPENDENTE et SOLINGENIUS hanc chirurgiam et bene norunt, et cum fructu usurparunt.

noua solet post triginta quandoque, vel quadraginta dies, febris accendi, cum violento dolore, quo aegri haud raro conuelluntur. Vi auellere vincituram periculosum, sinere eam ineptum existimamus. Cauendum itaque est, ne aditus ad arteriam nimis cito praeccludatur, qui si iam fere praecclusus est, expedit turundae ope, de spongia praeparata confectae, eum sensim atque prudenter ampliare, viaque tali ratione ad vincituram patefacta, forcicis ope eam abscindere¹⁵²⁾.

VI.

METHODVS, QVAE GALLIS DICITVR AMPUTATION A' LAMBEAU.

Tribus verbis hanc rationem tetigit PATER meus (§. 252.), quam parum ille vtilem, et suo iam tum tempore obsoletam existimaret; videturque mihi in ea breuitate exemplum, et in iudicio suo auctoritatem L. HEISTERI esse secutus. Hic enim neque fuisse hunc modum descripsit, neque adeo laudavit, asserens, ipsum VERDUINUM hanc methodum suam deseruisse. Quam HEISTERI atque

152) Cl. ALLOUEL fatius existimat, vincituram in-
tus sinere, qua auulsa aegri conuellantur. vid. Jour-
nal de Med. T. XXXII. In Tomo XXXIV. eius-
dem Diarii Cl. MILLERET obseruatione osten-
dit, posse vincituram, ea qua dixi ratione, abscindi,

atque PARENTIS mei breuitatem, cum nonnullis viderim displicuisse claris viris; cumque ea ratio post illam aetatem, repeti coeperit a nonnullis atque adornari: faciendum putavi, vt originem eius ac vicissitudines, modumque, breuiter hoc loco explicarem. Nonnulli sunt, qui apud CELSUM¹⁵³⁾ eam descriptam esse cenſeant, his verbis: *incidenda scalpello sana caro, et circa os subſecanda eſt, vt ea quoque parte aliquid de oſſe nudetur, deinde illud ferrula recidendum eſt, quam proxime ſanae carni inhaerenti; cutis ſub huiusmodi curatione laxa eſſe debet, vt quam maxime os contegat.* Quem nos his CELSI verbis ſentum ſubiiceremus, alio loco a nobis expoſitum eſt¹⁵⁴⁾. Ex GALENI L. V. Method. medendi ad Glauc. locum aſſert FR. HOFFMANNUS¹⁵⁵⁾ in Diſſ. de membrorum amputatione. *Sanguinis fluxus ſiſtitur propria cutis ſuperpoſitione, quapropter tuto hoc modo membra ſecabis, qui ſi tibi ſatiſfecerit, illam te docuiſſe me non poenitebit.* Ego vero, qui diligenter legeram, quicquid in iſtis GALENI libris XIV. ad chirurgiam ſpectet, (eo vero maxime ſpectat L. II. III. et V.) nihil memini, de tali curatione me inuenire, ſique tale quid offendiſſem,

153) L. VII. C. XXXV.

154) p. 196.

155) vid. FRIED. HOFFM. Diſſertatio, de membrorum ſphacelatorum amputatione, Halae 1724. §. X.

sem, eram id certe in aduersaria mea relaturus. Verumtamen, vt scirem quid rei esset, totum illum quintum GALENI librum diligenter relegi, et secundum tertiumque librum perlustraui. Quae mihi lectio, etsi multis nominibus iucunda fuit, illud tamen desiderium meum non expleuit. Hoc quidem aliquoties repetitum vidi a GALENO¹⁵⁶), sanguinem contineri in magnis vulneribus, carne et cute superimponenda, de membrorum vero chirurgia nihil reperi, quod ad hanc rationem possit accommodari. Quod ea de causa hoc loco monendum duxi, vt rogarem scriptores nostros, corradendorum veterum locorum nimis interdum auidos, vt maiorem in hac re diligentiam adhibeant. Centies enim tali me ratione deceptum memini, vt veteris, vel etiam recentioris scriptoris locum quendam vel laudatum, vel additis auctoris verbis, commemoratum viderem, de quo ne litterula quidem apud auctorem exstaret. Mira praesertim est Francogalorum in hoc genere leuitas, qui scriptores interdum soleant nominare, addito etiam libri indice, quorum neque nomen, neque librum vlla aetas nouerit. — Incidi deinde in BARTHOLOMAEI MAGGII¹⁵⁷), Iulii III. Pontificis, Chirurgi, librum de vulneribus sclopetorum,

P 2

156) vid. ad Glauconem Lib. V. C. III. Ed. CHARTER. p. 106. et passim.

157) IN GESNERI Collect. p. 268.

rum, ibique et illum errorem detexi, et simile quid Verduiniana curationi reperi. Ex GALENO primum haec verba adfert: *Sanguinis fluxus sistitur propriae cutis suprapositione*, deinde suum iudicium addit: *quod si tali ratione membra secueris, te hoc docuisse me non poenitebit*. Haec MAGGII verba cum GALENI voce, negligens forte scriptor quidam commiscuit, e quo locum illum HOFFMANNUS transcriberet, qui ipsum GALENUM non adiisset. Iubet autem MAGGIUS, in manus praefertim chirurgi, sanguinem imposita brachii cute continere, cutemque circumsuere, sicuti ex toto illo loco apparet, quem supra attulimus ex eodem scriptore. *Posthaec, inquit, ut ministri, quam retraxerunt manibus pellem, carnemque remittant, impero; quandoque bonam iuncturae partem, nonnunquam totam iuncturam sponte contegit — et nullis vel paucis saltem, ut sanguinis fluxus compescatur, membrum eget cauteriis, quippe pelle illa vasa contegantur, et sistitur sanguis*. Quae sequuntur, supra attuli p. 217. ea enim pertinent ad *suturam cruciatam*. Ex his certe intelligitur, parum differre a MAGGII curatione, VERDUINI modum illum.

Verumtamen, an vel Anglus, vel Belgicus chirurgus, ex MAGGII lectione suae methodi adornandae ideam conceperit, ego quidem nescio. Est autem a superiore saeculo huius curationis initium ducendum. Er-
rat

rat PATER meus cum multis aliis, qui a VERDUINO, Amstelodamensi quondam Chirurgo, hunc modum excogitatum fuisse credunt. Nam recte obseruatum est a L. HEISTERO¹⁵⁸⁾, diu ante VERDUINUM, eo vsu fuisse Anglum Chirurgum J. LOWDHAM, cuius rei testis est JO. YONGE¹⁵⁹⁾, cuius librum supra indicauimus. Quem cum in paucorum manibus esse sciam, totum illum locum transcribendum putauit:

The ligatures and Gripe being made after the commun manner, you are whit your Catlius, or some long Incision-knife to raise (suppose it the Leg) a flap of the membraneous flesh, covering the muscles, of the Calf; beginning below the place, where you intend to make excision and rasing it thiterward of lenght enough to cover the stump; having so done, turn it bach under the hand of him that gripes; and as soon as you have severed the membre; bring this flap of coutaneous flesh over the stump, and fasten it to the edges there of, by four or five stroog, stitorhes; having so done, clap a Dossill into the inferiour part that one passage may be open for any bloud etc.

A. demum 1697. illa VERDUINI Epistola prodit, quam A. 1702. secuta est SABOU-

P 3

RINI

158) T. I. p. 481.

159) Currus triumphalis etc. p. III. cf. Acta Eruditorum A. 1697.

RINI Geneuensis Chirurgi dissertatio, qui volebat quidem huius methodi auctor haberi.

VERDUINUS ¹⁶⁰⁾ autem utebatur ratione fere tali. Magnam primo diligentiam adhibebat, ut vasa maiora comprimeret. Quapropter non tortili tantum fascia (*tourniquet*), sed loro etiam peculiari et fasciis utebatur; quam suppellectilem, si quis velit omnem perlustrare, ipsam VERDUINI dissertationem adeat. Membro duorum ministrorum auxilio immobili praestito, cultro modice curuo carnium, quae suram efficiunt, sectio instituitur. Culter quidem per medias surae carnes, ossi quantum fieri potest vicinus traicitur, sic ut immissus ab vno latere ex aduerso ille emergat. Culter autem paullo profundius est traiciendus, ut omnem ille auferat carnem atque sustineat, quae ossi inhaeret. Tali iam modo inchoata sectione, deorsum ducitur culter et versus Achillis tendinem vbi ventum est, finita sectione educitur; sic ut vno illo cultri descensu, (cuius apicem oportet in opposito latere emergere), omnis caro posteriore sede
 seiunga-

160) V. P. A. VERDUINI Dissertatio epistolica de noua artuum decurtandorum ratione, Amstelod. 1696. Ea quoque continetur in MANGETI Biblioth. Chir. T. I. p. 255. Gallicam versionem nomen auctam edidit PETR. MASSUET, Amstelod. 1756. Multa ex recentioribus scriptoribus congesta, quae ab hac quidem chirurgia aliena sunt, et ad amputationem in vniuersum spectant.

sejungatur. Caro tali ratione iam separata, sursum reducenda est, tuncque iuxta illum locum, in quo sectio haec inceperat, anterior caro circumsecanda est ita, ut ossium circuitus omnis nudetur. His peractis os, sicuti in consueto modo fieri solet, ferrula tollendum est.

Eodem anno, quo VERDUINUS novam suam rationem primum usurpauerat, eandem tentavit ADR. KOENERDING¹⁶¹⁾, magni quondam valetudinarii Amstelodamensis Chirurgus. Mox vero ad pristinum modum reuersus est, docuitque peculiari libello, neque novam esse VERDUINI rationem, neque salutarem; vasa carne obiecta varicosa fieri, et truncum tarde ad sanationem perducì. Post hunc primus de hac ratione scripsit FR. RUY-SCHIUS¹⁶²⁾ in Epistola ad MAUR. REVER-HORST. Parum ille de suo ingenio ad hanc methodum adiecit, nisi quod vellet in brachii chirurgia, cute tantum obtegere truncum membri, quem VERDUINUS carne solebat operire. Caeterum in laudanda hac noua ratione moderatior est RUY-SCHIUS, quam nonnulli recentiorum videantur existi-

P 4

mare,

161) Referente HEISTERO T. I. p. 481. vid. ADR. KOENERDING *Van het heet en koud vuur en van het afzessen van kuyt en sbeenbeenderen*, Amstelod. 1698.

162) vid. MANGETI *Bibl. Chir.* p. 262. Epistola scripta est A. 1701.

mare, qui RUVSCHII epistolam haud legerint. De testis ossium exstantibus et carne superimposita, plurimum ille metuit in pede, parum in brachio, quoniam illo debeat aeger incedere. hoc possit fouere. Reprehendit etiam adstrictiorem illam VERDUINI deligationem, propter gangraenae metum, maualtque vel laxiorem adhiberi, vel per viginti quatuor horas manu valide contineri truncum, si qua sit sanguinis ruentis suspicio.

Ineunte hoc saeculo A. 1702. IO. SABOURIN¹⁶³⁾, Chirurgus Geneuensis, eundem fere modum regiae Academiae Parisinae proposuit, qui vellet huius curationis inuentor haberi. Breuiter ea, neque adeo diligenter descripta est in huius Academiae historia, in qua miror LOWDHANI nomen praetermissum esse. *Tout le secret consiste à garder un peu plus bas, que l'endroit ou se doit faire la section, une piece de chair & de peau, dont ensuite on recouvre l'os.* SABOURINUS deinde in valetudinario Parisino methodum suam tentavit, habuitque chirurgiae suae testes Celebb. olim DUVERNEY et MERY, qui de ea certiores facerent Academiam Scientiar. Aeger moriebatur. Quem fatalem curationis exitum a methodi quodam vitio etsi haud repeterent illi quidem, maiorem tamen sanguinis profusionem, quam in vulgari modo, concitatam fuisse, testati sunt. Poterat interim haec
res

163) v. Hist. de l'Acad. des Sc. A. 1702. p. 37.

res illas laudes, quae methodo suae impertierat SABOURINUS, dubias reddere. M. SABOURIN qui avoit déjà fait une expérience de cette méthode assure, que dans l'amputation le malade avoit perdu 3 ou 4 onces de sang, & ensuite pas une goutte. Verumtamen fauet huic ipsi curationi MANGETI ¹⁶⁴) iudicium, qui aegrum illum se vidisse ait, et feliciter sanatum et commode satis incedentem.

Primus deinde, quod ego sciam, hanc methodum vsurpavit et adornavit F. R. CR. DE GARENGEOT ¹⁶⁵), cuius Operatt. Chir. A. 1720. primum comparuerunt. Et primo quidem recte monuit, quod caeteri neglexerant, iis hunc modum non convenire, quibus sanguis viciatus sit, et ab interno vitio gangraena moueatur. In his enim carnem ad operiendum truncum ineptam esse. PETITI machinam fasciae tortili praefert. Cultro anticipi vitur, (curuo utebatur VERDUINUS). Sectionem peculiari ratione instituit; primum enim cutem et adiposam tunicam anterieus incidit, supra tibiam et fibulam, cuius ad anteriorem partem, vbi producta est sectio, via paullo decliviore, cultrum ducit, posthac eum per musculum *solarem*, iuxta *genium internum*, traicit, et Verduini more sectionem absoluit. Si carnis illud segmen nimis longum sit, iubet, id quod superfluum est, scal-

P 5

pello

164) Bibl. Chir. T. I. p. 265.

165) Traité des Operations T. III. p. 393.

pello tollere, tandemque carnem vel futurae, vel quod fatius existimat, glutinantis emplastri ope trunco adnectere. Alia posthac ratione usus est Cl. GARENGEOT, quam a Celeberr. RAVATON¹⁶⁶) inchoatam iam breviter enarrandam putavi.

Eam quidem Cl. RAVATON Academiae Regiae Chirurgiae proposuit A. 1740. litteris ad DRANIUM missis, qui huic methodo adeo favebat, ut in suo libro eam fuisse describeret, caeterisque huius generis methodis anteferendam putaret. Ea vero instituitur ratione fere tali. Curvo cultro primum caro usque ad os circumsecanda est, eaque sectio, si fieri potest, tres vel quatuor digitos transversos, infra locum eum inchoanda est, in quo ipsum os praecidatur. Tunc duabus aliis sectionibus, quae eo in loco incipiunt, ubi os demendum est, desinuntque in primum sectionis circuitum, caro secundum longitudinem findenda est usque ad os. Harum autem sectionum unam anterius fieri oportet, alteram posterius. Quo facto caro, quae in duos iam segmina fissa est, scalpelli ope ab osse

166) De eius methodo vid. LE DRAN Operations p. 564 seq. RAVATON Tr. de Playes d'Armes à feu. p. 405. cf. Eiusd. Chir. d'Armée, ubi huius chirurgiae iuxta malleolos administratae exemplum narratur, vid. Obs. 106. Eadem fere methodo in amputatione ad malleolos utitur WHITE, vid. Cases in Surgery l. c.

osse deglubenda est, et sic separata, panni perforati (*compresse fendue*) ministerio eleuanda. Tandem os, quemadmodum alias fieri solet, ferrula praecidendum est. Quo negotio, (quod valde nobis diuturnum atque crudele videtur,) peracto, vasa deuinciuntur, quod in VERDUINI curatione haud fiebat, superinduciturque anterior et posterior caro, vt trunci area tota ea obtegatur. Ne vero segmina carnis, trunco superimposita dehiscant, glutinanti emplastro ea adducuntur, ita vt aduersi margines deinde coalescant.

A RAVATONI ratione parum differt ea, quam Palatini Electoris primarius Chirurgus, REMON DE VERMALE¹⁶⁷⁾ cum DRANIO, literis ad eum datis, communicauit. Eam primus descripsit Cel. LE DRAN, quod humanitatis causa eum fecisse Cl. RAVATON¹⁶⁸⁾ existimat, qui et curationem istam, et eius auctorem alto supercilio despicit. Si crus tollendum est, vna sectio supra externam tibiae faciem, altera supra posteriorem fibulam fieri debet. Scalpellus per medias carnes traicitur iuxta os, vt eius apex in aduerso et poste-

- 167) De VERMALII curatione vid. DRAN l. c. p. 567 seq. Ipse tres huius amputationis methodos suas descripsit, vid. Observations de Chirurgie par Mr. REMON DE VERMALE, Mannheim 1767. p. 19.
168) Tr. des Playes d'Armes à feu p. 411. vbi VERMALII modum grauitur vituperat. Neque mitius de RAVATONI methodo sentit VERMALE Obs. p. 17.

posteriore latere emergat. Hoc eo quidem in loco fieri oportet, in quo os tollere propositum est. Scalpellus tunc, sicuti in VERDUINIANO modo fieri diximus, deorsum ducitur, ita ut quam proxime ossi descendat, sic omnis caro, quae a latere illo ossi vicina est cum cute, ad dimidii pollicis longitudinem secatur. Longitudo sectionis, ex membri crassitudine metienda est. Utque modus in ea re certior teneatur, filum et supra, ubi inchoatur sectio, et infra, ubi illa desinat, iniicere conuenit. Quo facto in aduerso latere eadem sectio instituitur, ut duo carnis segmina efficiantur. Solet etiam Cl. VERMALE, ab inferiore filo sectionem incipere, eamque iuxta superius terminare, carnem omnem ab utroque latere iuxta os deglubendo. Tertiam tandem rationem proposuit, quae in eo tantum differt a RAVATONI methodo, quod orbiculata sectio omittitur. Caeterum enim, uti a RAVATONO praeceptum est, sectionibus duabus, in utroque latere, carnem findit usque ad os. Vasa etiam deligat. VERMALII modum vehementer laudat Celeberr. DE LA FAYE ¹⁶⁹), qui Ravatoniano eum anteferendum putet. Interim tamen VERDUINI modum

169) In peculiari commentatione, vid. Mem. de l' Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 202. Machinamentis nonnullis, fulciendo et continendo membro accommodatis, hanc amputationem auxit Cel. Vir; quae curiose describere inutile existimaui.

dum caeteris huius generis praeferendum putat. RAVATONI curationem probauit et vsurpauit Cl. nuper DE GARENGEOT¹⁷⁰⁾). Iterum tamen ad Verduinianam reuersus est, sic quidem vt vasa deligaret. Ne vero agglutinato carnis segmine, vinctura intus retineretur, linteum carni et vincturae interposuit. Aliquot diebus elapsis cum arteria iam fere obcalluisset, linteo remoto fila abscidit, forficis ope, et tandem id quod vulneris superesset, imposita carne glutinauit.

Caeterum de hac curatione in vniuersum, idem ego sentio, quod plerique sentiunt, doloris eam ac molestiae plenissimam esse. Verumtamen Ill. LOUIS¹⁷¹⁾), qui caeteroquin parum ei fauet, in summo humero eam nuper commendauit. Metuit quidem Vir Celeberr. ne, si consueto more humerus iuxta articulum dematur, a laesis tendinibus *musculi pectoralis magni, et dorsalis magni*, grauia incommoda oriantur. Vulnus enim retractis
his

170) vid. Mem. de l'Acad. de Chirurg. T. II. P. II. p. 237.

171) Mem. de l'Acad. T. II. P. II. p. 425 seqq. cf. BERTRANDI Tr. des Operations p. 495. LOUISIUM reprehendit BAGIEU Examen T. I. p. 295 seqq. De hac Chirurgia in vniuersum legi meretur IULIANUS BOSSU: Num in ressecandis artubus carnis segmina seruare tutius, Parisiis 1764. Nimiis mihi laudibus amputationem à lambeau extollere videtur Cl. MOUBLET, in Journ. de Médecine T. XI. p. 353.

his musculis, inaequale et vlcerosum fieri existimat. Metuit etiam musculus *coraco brachialis* et *extensoris longi* retractum. Omnes quidem hi musculi, oblique super osse humeri descendunt, possuntque ideo retractu inaequali, vulneris curationem multum impedire. Interim tamen vereor, ut huius amputationis, vel in humero magna sit utilitas. Membrum enim vel propter grauem ossis fracturam tollitur, vel propter gangraenam. In priori exemplo metus est, ne carne superimposita, fragmenta intus retineantur, ubi vero gangraena vsque ad *deltoidei* carnes iam serpsit, vix tantum carnis suppetet, quantum in hac chirurgia ad obtegendum truncum requiritur; ut omnittam illud quod supra monitum est, carnem vitiatam vel vitiatae proximam, huic consilio minus aptam haberi. Recte quoque intelligendus est Ill. LOUIS¹⁷²⁾ alio in loco, ubi dicit, hanc methodum tentari posse, si immedicabilis fractura molles partes ita vexarit, ut possit, sine magno aegri dolore, segmen carnis impetrari. Nihil, quod ego sentiam, dolores aegri in hoc exemplo posse lenire, quam carnum, de quibus segmen efficiatur, labes et ad sensum hebetudo. Tunc autem vereor, ut segmen de tali carne confectum trunco superimpositum, curationi vulneris faueat. Quod hoc loco monendum putauit, non ut reprehenderem

172) Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p. 100.

henderem Summum Virum, cui tantum me sentiam debere, sed vt intelligerent tirones, in magnorum Chirurgorum praeceptis interpretandis, summa prudentia opus esse, quae male ac inepte possint explicari, nisi, quae illos potuerit experientia, vel obseruatio ad ea praecepta stabilienda inuitare, cognitum habeas et perspectum; quod me in hoc exemplo profiteor ignorare; certus interim Cel. Virum aliud quicquam voluisse, quam vitiatæ carnis segmentum trunco imponi.

EL. FR. HEISTERI, LAUR. filii, obseruatio illa, quam PATER meus in not. ad §. 251. commemorauit, huc magis, quam ad articulorum chirurgiam referenda erat. Caeterum illa methodus noua dici vix poterat. Nam vasa ante membri resectionem deligare, haud noua res est, quam a Veteribus vsurpatam et a PAREO tentatum fuisse, alio loco ostendimus. In articulorum chirurgia, segmen carnis seruare fere necesse est. De hac iam paullo fusius dicendum.

SUPPLEMENTVM VI.
DE EXCINDENDIS ARTICVLIS.

I.
HVMERI EXCISIO.

ERRAT PATER meus cum permultis aliis scriptoribus, qui a DRANIO HENRICI FRANCISCI Patre, hanc medendi rationem reperierunt. Primus enim eam tentauit MORANDUS¹⁾, F. S. MORANDI Pater. Interim tamen quae fuerit olim MORANDI ratio, a nemine, quod ego sciam, memoriae proditum est. DRANIUS²⁾ quidem in huius chirurgiae experiundae consilium adductus fuit immedicabili spina ventosa caput humeri exedente. Monendi tamen sunt lectores, articuli vitia, grauiora et periculosa, hanc chirurgiam non protinus exigere, posseque fracturas praesertim, quae vel bellici instrumenti impetu, vel lapsu, vel alia causa fiant, modo caput humeri penitus collisum non sit, diligentia

1) vid. *Récherches sur l'origine & le progrès de la Chirurgie en France* p. 611. cf. DE LA FAYE ad DIONIS T. II. p. 758.

2) Narrationem illius morbi lege in M. F. LEDRAN *Observatt. de Chir.* p. 315.

gentia chirurgi atque constantia, ad sanationem perducere. Multo minus hanc medicinam postulant eae fracturae, quae, integro articulo, in supremo osse incidunt. Inanem quoque illum in capsulari ligamento, commotionis metum esse, supra ostendimus. Aequè non oportet articulum excindi, si humerus quacunquè vi avulsus est; docuit enim experientia, id quod supersit de osse, etiam perfracto capite humeri, posse in cavitatè glenoidea tolerari, nequè ex ea re grauià mala oriri. De his omnibus relegenda sunt ea, quae de amputationis instituendae consilio, alio loco disputauimus³⁾.

Accidit interdum, ut caput humeri, reliqua ossis parte integra manente, spina ventosa, vel graui fractura, penitus corrumpatur. In tali exemplo, et si nullam perniciosam medicinam recipit, an propter istam articuli labem, totum membrum excindendum putemus? Ita quidem videtur. Ego vero existimo, membrum seruari posse, dum facta per carnes incisione profunda, caput humeri emoueat et terra praecidatur. Quid vero membro capite suo orbato, tunc continget? Carnibus illud in supremo loco iterum opertum, et articuli sedi modice adductum, cum glenoidea cavitatè conferuebit — et membrum immobile

3) vid. Suppl. V. p. 157 seqq. vbi etiam obseruationes quaedam allatae fuerunt. cf. p. 174 seqq.

bile ac mutilum fiet. Haud ita quidem; poterit enim de circumiectis vasis, materia in illam fedem deferri, cuius beneficio capitis humeri iactura, qualicunque modo reparatur. Hanc ego spem, quam iam dudum animo conceperam, auctam nuper et confirmatam vidi, in Epertiff. WHITII *) obseruatione, quam cum lectoribus meis communicandam putavi.

Iuueni scrophulorum malo laboranti, insanabili carie caput humeri exeditur, corruptis etiam in ea sede ligamentis. Foetida sanies, cuius pernicies iam ad medium vsque humerum serpserat, copiosissima emanat de duobus foraminibus, per quae exitum illa sibi muniuisset; brachium vero ad manum vsque tumidum erat. Aeger praeterea immani dolore, sudoribus nocturnis, alui inexhausta fluxione, et hectica febre, ita iam confectus erat, vt exitio proximus haberetur. Quis non vel mori sinerit hunc aegrum? vel exciso humero seruandum esse putarit? Chirurgus tamen, caput humeri excindere ausus est, relicto membro, quae illi res tam feliciter cessit, vt non membri tantum integritas, sed eius etiam motus aegro post curationem superesset. Carnes a summo inde humero, vsque ad mediam eius partem profunde incidebat. Ampliato vulnere, os humeri, emoto articulo, adducebat, capite tandem

*) vid. CH. WHITE Cases in Surgery.

dem (quod firmiter haud poterat glenoideae cavitati inhaerere) ferra praeciso. Aeger se statim peracto opere alleuatum sensit. Secundo, post hanc curationem mense, et in articulo firmitas quaedam, et in brachio robur, animaduvertebatur; paullo post ossis nudati testa secessit in summa eius sede. Aeger tandem ita conualuit, vt attollere, inflectere, reclinare et inclinare, et pronare adeo membrum posset.

DRANII methodum diligenter descripsit PATER meus⁵⁾, ita vt nihil in ea descriptione desideretur: Superest, vt quid sit in illa DRANII ratione ab aliis emendatum, breuiter exponamus. Et primo quidem Cl. olim DE GARENGEOT⁶⁾, qui hanc chirurgiam administruit, acu curua et ancipite vtebatur. Quo facto brachium aegri, quod antea extensum erat, tantillum iubet inclinare, vt carnes relaxentur. Reducta cute, musculum deltoideum ad tres digitos transuersos iuxta acromium incidit, ope scalpelli recti. Brachium deinde tantillum attollitur, vt musculi bicipitis

Q²

pitis

- 5) Non video, quid in illa PARENTIS mei descriptione reprehendat DAHLIUS, Vir Cl. Diss. de Humeri amputat. in artic. §. 9. Neque enim brevis illa est, neque obscura.
- 6) Traité des Opérations T. III. p. 457. Eodem fere modo, quem omnium crudelissimum esse existimamus, vtitur RAVATON Chir. d'Armée Obs. 56. Simili ratione HEISTERUS hanc curationem descripsit p. 486 seqq.

pitis caput in conspectum veniat, eiusdem scapelli ope ressecandum. Tunc membrana capsularis vtrinque circumsecatur. Sic vbi humeri caput emerfit, digitis, sinistrae manus illud prehenditur, sursumque emouetur, dissectis ligamentis. Prima quidem illa et superiore incisione, segmen deltoideae carnis triangulum relinquitur, cuius apex deorsum, basis sursum versus glenoideam cavitatem vergat. Internarum carniū sectio pariter sic instituenda est, vt simile segmen efficiatur. Vtrinque itaque in inferiore humeri sede, carnes iuxta os et infra illud paullo profundius inciduntur, sic vt duplici hac sectione vnum carnis segmen efficiatur, quod ope tertiae sectionis infra vincituram factae, ab inferioribus carnibus dissoluendum esse, per se intelligitur. Huic itaque inferiori segmini vasa deligata adhaerent, eique sunt quasi agglutinata. Nunc autem his altera vincitura iniicienda est, vt prima illa, quae cutem comprehendit, resolui possit; quod ideo necessarium existimat Cl. DE GARENGEOT, ne vexata cute, periculosum erysipelas oriatur, vel aeger conuulsus pereat. Altera itaque deligatio, quam primae paullo superiorem esse oportet, sic perficienda est, vt acus compositum filum trahens sub vasis traiciatur, habita tamen cura, ne cutis in filum comprehendatur. Vinciturae splenium superimponitur, quo facto bina carnis segmina, quae

accurate

accurate sibi mutuo respondent, vulneri obiciuntur, quod tandem linteis carptis, emplastro et pannis operiendum est, et fasciis continendum.

SAM. SHARPIUS ⁷⁾ hanc chirurgiam nunquam tentavit ille quidem, eius tamen perficiendae modum proposuit; quem nemo, quod ego sciam, vsurpavit. Iubet quidem extenso aegri brachio, carni inuolucra a summo inde humero dissecare, ad axillam vsque, posthac pectoralem musculum et deltoidei partem incidere, donec arteriae in conspectum veniant, quae facile possint, sicuti Cel. Viro placet, a scalpelli iniuria incolumes praestari. Vasis iam deligatis, orbiculata sectio infra vincituram absoluitur, dissectis ligamentis, membranis et carnibus, quae humerum vel alligent, vel inuestiant, omnibus. CL. DE GARENGEOT ⁸⁾ orbiculatam incisionem, quam a nullis ait propositam fuisse, in hac chirurgia, vel ideo reprehendit, quoniam nimis multum de carne auferatur. Metus etiam superest, ne vasa laedantur.

HENR. FRANC. LE DRAN, qui Patris sui curationem in *Observatt. Chir.* primus descripserat, suam deinde methodum in *Operatt. Chir.* ⁹⁾ descripsit, quae illa mihi longe

Q₃

praestant-

7) *Operations of Surgery* p. 223. In noua huius libri editione, quae in aliis partibus multum aucta est, nihil de hac curatione addidit.

8) l. c.

9) vid. DRAN *Traité des Operations* p. 570 seqq.

praestantior esse videtur. Brachium aegri non extendit ille, sed tantillum a corpore reducit, ita vt cubitus, tribus digitis transuersis, a costis distet. Et primo quidem deltoideus musculus iuxta eam sedem, in qua ligamentum capsulare de perioiteo humeri emergit, scalpelli falcati ope inciditur, relicto eiusdem carnis segmine; quod minister attollit. Interea chirurgus ligamentum capsulare superius aperit, dissecto simul muscoli supraspinati tendine. Deinde digitum in vulnus immittit, et quod superest ligamenti capsularis, discindit, dissectis etiam muscoli dorsalis magni tendinibus. Quo facto brachium attollitur, et scalpello intra humerum et cauitatem glenoideam immisso, internae humeri carnes ea in sede circumsecantur, quam sectionem ad duos digitos transuersos infra axillam producere conuenit. Has carnes circumsectas ita abscindit, vt paruum segmen relinquatur. Emoto brachio, indice sinistrae manus, arteria prehenditur, sub axilla deinde deuincienda. His peractis bina carnis segmina, quantum fieri potest, adducuntur, et glutinantium emplastrorum ministerio firmantur. Cautas glenoidea carnis illis non operitur, quae vix possent, sicuti *Celb. LE DRAN* placet, illi agglutinari; linteis carptis tamen quam plurimis ea implenda est, de qua deinde carnosam quaedam materies succretcere obseruatur.

Cel. DE LA FAYE ¹⁰⁾ aliam curationem proposuit, quae parum differt a Draniana. Brachio aegri non extenso sed demisso, sectione transuersa, musculus deltoideus quatuor digitos transuersos ab *acromio* inciditur vsque ad os. Ab utroque tunc latere secunda et tertia sectio ita perficitur, vt scalpellus a summo humero descendens, utrinque in primam illam sectionem transuersam desinat. Sic carnis segmen impetratur admodum amplum, quo eleuato, duo capita *musculi bicipitis* dissecantur, et cum his ligamentum capsulare. Tandem humerus trahendo aliquantum emouetur, cuius inferior pars carnibus adhuc suis adhæret, scalpelli ope quaquauerfum deglubendis. In carnibus autem inferioribus circumsecandis, ne vasa in his decurrentia laedantur, laminae aciem versus os respicere oportet. Hoc peracto, os humeri nudatum et e sede iam sua emotum, a ministro tenetur, vt inferiores carnes (quae nondum abscissæ sunt), ea superficie, qua ossi adhaeserant, nudaè conspiciantur cum vasis maioribus, ibi decurrentibus. Vincturam quam proxime ab axilla

Q+ iniicit

10) Nouvelle Methode pour faire l'Operation de l'Amputation dans l'Articulation du Bras avec l'Omoplate. Mem. de l'Acad. de Chir. T. II. P. II. p 195 seqq. Praecipuum est in modo Cel. DE LA FAYE, quod vasa ante sectionem non deligantur. Ante DRANIUM, vel suo testimonio (p. 200.) hanc methodum cum Acad. Chir. communicauit.

iniicit Cel. DE LA FAYE et hac peracta membrum tollit, abscissis infra vincituram carnibus. Haec methodus in eo conuenit, cum illi a H. F. LE DRAN proposita, quod prima illa deligatio vasorum omittitur, Ill. LA FAYE tamen in membrum non abscindit, nisi peracta vincitura, quod in DRANII ratione diuersum est. Porro Cl. LE DRAN duo segmina efficit, neque tamen cauitatem glenoideam his obtegit; Cel. LA FAYE, deltoidea carne illa totam vulnus operit. Magna sibi commoda in hac chirurgia reperire videtur Ill. DE LA FAYE, inter quae maximum nobis proficisci videtur a segminis ratione. In GARENGETI ac DRANII modo, duo segmina efficiuntur. Alterum illud de inferioribus axillae carnibus relictum, versus superiorem partem adducendum est. Et sic tota illa cauitas axillae operitur. Atqui obseruatione compertum est in hac sede, largam saepe nasci suppurationem. Quod si accidit, puri moto exitus opportunus non patet, id quod magnam potest aegro molestiam creare. In Cel. DE LA FAYE methodo, puris viae optime consultum est; quod ex eius descriptione clare patet.

Omnes methodos, vel molestia et crudelitate superat ea, qua utitur IO. BROMFIELD"), Chirurgus Londinensis longe Celeb. Et

II) Eam descripsit DAHLIUS in Dissertatione sua §. XII.

Et primo quidem arteriam nudat, quemadmodum in aneurismatis curatione fieri solet. Aegro itaque, cuius brachium extensum esse oportet, vulnus infligit in interiore humeri carne, quod iuxta scapulae articulum incipit, et tribus digitis transuersis ab hac sede desinit. Detecta sic arteria, cultri ope eam circumpurgat, vtiturque in hac molesto et crudeli negotio, quod in aneurismatis chirurgia vituperauimus, cultro, nodulo vel capitulo instructo ne arteria laedatur. Quae tandem separata, filum duplex peculiaris instrumenti ministerio inferius traicit, et in aduerso loco educit. His duobus filis duplex arteriae vinculum iniicitur, alterum in summa eius sede, alterum paullo inferius adstringendum. His peractis exteriores humeri carnes secundum longitudinem incidit, vsque ad os, et transuersim tandem, quemadmodum a Cel. DE LA FAYE propositum est, toto dissecto deltoideo musculo, segmen carnis efficit, a ministro interea eleuandum, quem etiam arteriolam illam digito comprimere iubet, quae per hunc musculum serpit. Eimoto humero atque abscisso, arteriolam illam deuincit. Reliqua curatio nihil proprii habet. Praeter diligentiam nihil quidem video, quod possit in hac methodo laudari. Nimia vero diligentia Chirurgi, quae semper molesta esse solet, in hac curatione immanes aegro dolores parit. Interim tamen BROMFIELDIO crudelis haec

Qs

et

et operosa methodus feliciter cessit, cuius auxilio malum diuturnum ac fere desperatum sanaret.

PETRUS HENR. DAHLIUS ¹²⁾, Vir Cl. A. 1760. peculiarem huius chirurgiae methodum proposuit, dignam chirurgorum periculissimorum suffragiis, quae illi contigerunt. Et primo quidem machinam excogitavit comprimendae axillari arteriae accommodatissimam, (vid. Tab. III. fig. III.). Constat illa, lamina chalibea curua, mobili et elastica; longitudinis et latitudinis modum, ex eius ad corpus humanum ratione, facile potest quilibet aestimare. Haec lamina in duo crura diuiscatur, quorum alterum et inferius laminam ellipticam et fere quadrangulam, subiectam habet, cochleae ministerio adnexam. Hoc machinamentum, humero superimponitur, sic ut minima illa et mobilis lamina illi sinui respondeat, qui infra claviculam est, quem tamen antea oportet linteis carptis impleri.

Cochleae

- 12) vid. Dissert. de Humeri amputatione ex articulo, Goettingae 1760. Exstat ea in *Celeberr. SANDIFORTI Thesauro* T. I. DAHLII methodus quoque descripta legitur in *Journal de Medecine* A. 1765. T. XXVIII. p. 530. Legi etiam meretur *POYETI* Dissertat. de Methodis amputandi brachium in articulo, Parisiis 1759. Ipse hanc chirurgiam tentavit. Vincituram externam reiicit, vituperat sectionem orbiculatam. *GARENGEOTI* secandi modum *Draniano* praefert. Ipse sequitur methodum *Cel. DE LA FAYE*.

Cochleae tunc ministerio, quae ex lato illo crure descendit, haec lamina arteriae adprimitur et immobilis praestatur, donec pulsus in carpo iam omnis evanescat. Ipsam vero chirurgiam Cl. DAHLIUS proposuit ratione fere tali. Primum quidem incisa vtrinque deltoidea carne segmen efficit triangulum, quod scalpelli ope ab humeri osse, supra articulum vsque deglubendum est. Tunc musculi ad latus vtrinque decurrentes ab osse dissoluuntur, dissectis etiam vtriusque bicipitis musculi tendinibus. Deinde capsulare ligamentum inciditur forcice curua; scalpello enim metuit Cl. DAHLIUS, ne arteria, vel cavitationis glenoideae margo laedatur. Tunc humerus attollitur, et carnibus, quae subter adhaerent circumsectis, emouetur ille et adducitur, vt vasa maiora in carnibus illis decurrentia nudentur. Haec iam detecta et a circumhaerentibus partibus soluta, filo forti ex decem aliis minoribus composito devinciuntur, sic vt arteriam et venam vnum filum complectatur; habita simul cautione, vt non apex, sed manubrium acus, vel obtusa pars traiciatur. Huic vinciturae, quam vasorum trunco proximam esse oportet, linteolum superimponitur. Demto tandem membro, duo illa carnis segmina adducuntur, emplastro- rum glutinantium striis ibi continenda. Maximum huius rationis commodum positum est in sanguinis continendi artificio illo. For-
fex

fex in difsecando ligamento capsulari an multum praestet scalpello, me peritiores iudicent. Ego quidem illi instrumento parum faueo, quo contundi, non secari existimem. Vasa in scalpelli vsu incolumia posse praestari, tot felices aliorum curationes probant, propriaque me in cadaueribus experientia mea docuit. Caeterum in deligandis vasis illud circumpurgandi negotium, sine magno commodo graues aegro dolores, et chirurgus molestum ac difficilem laborem parere persuasum habeo.

II.

DE FEMORIS ARTICULO

SUPERIORE EXCINDENDO.

Post felicem illam MORANDI ac DRANII, in humeri articulo excindendo, audaciam, ne qua pars externa corporis humani a Chirurgia intacta superesset; in femoris articulo, quem natura contra talem medicinam carnibus et vasis muniuisse videretur, similem curationem nonnulli proposuerunt. Primus, quod ego sciam, de hac chirurgia exequenda cogitauit Cl. WOHLER, Regis Daniae quondam Chirurgus, et post hunc Cl. PUTHOD, Chirurgus Nyonensis. Vterque cum Academia Regia Chirurgiae A. 1739. huius curationis consilium et modum communicauit, missis ad eam dissertationibus, in quibus quicquid ad
eam

eam vel commendandam, vel perficiendam pertineat, diligenter tractaretur. Vtraque tamen dissertatio nuper demum MORANDI¹³⁾ cura in lucem edita fuit, quam ideo neque PATER meus, neque HEISTERUS, posset laudare. A. 1748. PETR. LALOUETTE¹⁴⁾, Med. Doct. Parisinus, in academica exercitatione hoc argumentum tractavit. Post hunc Cl. RAVATON¹⁵⁾ huius chirurgiae instituen- dae modum descripsit. Post hunc Cl. GOURSAUD¹⁶⁾, Chirurgus Parisinus, 1758. alius methodi copiam fecit Academiae Parisinae. A. 1759. Celeberr. MOUBLET¹⁷⁾, de eodem argumento diligenter scripsit, addita etiam rationis, quam in hac chirurgia vsurpari vellet, descriptione. Eodem anno Academia Chirurgiae Parisina¹⁸⁾ quaestionem annuo praemio condecorandam proposuit: *Dans le cas, où l'Amputation de la Cuisse avec l'os de la hanche, paroîtroit l'unique ressource, pour sauver la vie à un malade, déterminer si on doit pratiquer*

13) vid. MORAND Opusculs de Chirurgie 1768. p. 189 seqq. et p. 199 seqq.

14) An femur in cavitate cottoidea aliquando amputandum, Parisiis 1748.

15) Traité des Playes d'Armes à feu p. 375. cf. Chirurg. d'Armée Cap. XXVII.

16) vid. MORAND l. c. p. 178.

17) vid. Journal de Médecine par Mr. VANDERMONDE T. XI. p. 240 seqq.

18) vid. Prix de l'Académie Royale de Chirurgie T. I. P. II. p. 103.

pratiquer cette operation, & quelle seroit la methode la plus avantageuse de la faire. Quadraginta quatuor exercitationes ad Academiam Regiam missae fuerunt, in quibus triginta deprehenderentur, quae huic chirurgiae fauerent. Nuper tandem Venerandus MORAND¹⁸⁾ de hoc argumento peculiarem edidit dissertationem, in qua probaret hanc amputationem, additis etiam praeceptis, ad eam recte instituendam vtilissimis. Ipse adeo BILGUERUS¹⁹⁾, hanc chirurgiam tentari posse, adeoque debere asserit, consentiente eius commentatore TISSOTO²⁰⁾, Viro Celeberrimo. Multi tamen, inter quos praecipue nominandus est Cl. BAGIEU²¹⁾, hanc chirurgiam nunquam tentari volunt, alienum existimantes, malo desperato et inmedicabili, crudelem medicinam frustra adhibere.

Verumtamen parum interest, tutum an sit ac lene auxilium, quod vnicum est. Si quis ante MORANDI curationem illam, de humeri articulo excindendo cogitasset, eramusne hanc audaciam magis probaturi, vel periculum tanti ac tam inusitati vulneris minus reformidaturi? Audaciam chirurgi auget alienae audaciae exemplum et fructus; quae audacia

18) l. c. p. 176 seqq.

19) vid. BILGUERI Dissert. de amputatione membrorum abroganda §. X.

20) vid. TISSOT. Not. ad BILGUERI Dissert.

21) Examen de plusieurs parties de la Chirurgie T. I. p. 225.

dacia, modo absit temeritas, magno humanitati commodo est. Temerarius autem is dici nequit, qui incertam spem certissimae praeferens desperationi, periculosum et magnum aliquod et graue opus aggreditur, exemplorum similitudine quadam, ad prosperi euentus spem inuitatus. Maxima in hac chirurgia difficultas oritur a sanguinis profusione et a magnitudine vulneris. Nam articulorum etiam maiorum vulnera sanari posse, vel in hac causa, nouis argumentis haud opus est euincere. Neque in hac nostrarum obseruationum multitudinem atque claritate, ad Veterum auctoritatem opus est prouocare. Veteres enim, quod alio loco ostendemus, tale quid in articulis ausi non sunt, qui si membra his dissectis commode excindi scribunt, in vitiata et mortua parte id fieri volunt. Neque tamen opus est singulas iam huius curationis difficultates recensere, quae an possint chirurgi dexteritate ac prudentia superari, ipsius curationis descriptio docet.

Eius vero instituendae varii modi propositi sunt. Cl. WOHLER²²⁾, qui primus de hac re scripsit, methodum sequentem proposuit. Aegro in situm opportunum collocato, sub ligamento Fallopii prudenter incidenda est cutis adiposaeque tunica, cum glandulis ibi subiectis. Vasa tali sectione iam nudata de-

vinciuntur,

22) vid. MORAND Opuscules p. 190.

vinciuntur, habita tamen cura, ne nervi in vinculum comprehendantur. (Duo nervi principes *lumbarium* propagines iuxta *femoralem arteriam* excurrunt, nervi anteriores sunt, posterior est vena). Eleuatur itaque arteria instrumenti obtusi ope, et acu curua paullo latiore, cuius apicem obtusum esse oportet, quatuor filis ceratis latioribus, cum vena socia deligatur. Arteriae splenium obiicitur. Hoc peracto, in ventrem aeger est collocandus. Deinde femur tantillum inflectendum est, vel potius (si dextrum femur tolli debet) versus sinistram partem adducendum, ita vt *musculus glutaeus maior* aliquantum intendatur, cuius cutem dum interea minister reducit, cutis primum, quemadmodum in *iterata sectione* fieri solet, inciditur, ad duos vel tres digitos transverfos, infra eam sedem, in qua carnes paullo post secandae sunt. (In macilentis praesertim conuenit cuti quantum fieri potest parcere). Deinde cultro recto duobus digitis transuersis sub tubere ischii, *glutaeus maior* disseccatur, oblique sursumque versus trochanterem directa cultri lamina, vt musculus in summo loco seiungi possit, seruato tamen eius segmine. Quo reclinato omnes illi musculi disseccandi sunt, qui maiori trochanteri adhaerent, vel ei proximi sunt (*glutaeus medius et minimus, quadratus geminus vterque, obturator internus et externus*). Tunc digito sinistrae manus in vulnus demisso, margo, cauitatis

tatis articularis, qui ossium innominatorum conuentu efficitur, quaerendus est, quo cognito *capsulare ligamentum* inciditur, id quod in sede ab illo margine paullo remotiore fieri oportet, ne ille scalpello vexetur. Praecipue vero curandum est, vt ea pars huius ligamenti dissecetur, quae in anteriore femore intra trochanteres oblique adhaeret. Nam in ea sede maxima est articuli firmitas. Cum hoc secandi sunt musculi, qui ibidem terminantur. His peractis agitato femore, eius caput de articulo emouetur, inciso simul *ligamento tereti* et reliquo capsulari. Quo tandem peracto, carnes anteriores circumsecantur omnes, quotquot *tuberi ischii* inseruntur. Membro sic penitus dissecto et e medio sublato, carnis segmen posterius illud, vulneri superimponitur, emplastrorum glutinantium et fasciarum opera ibi continendum. Ab hac methodo parum differt Celeberr. PUTHODI²³⁾ curatio, quam in Ven. MORANDI opusculis descriptam legimus.

Methodus, quam Ci. LALLOUETTE proponit, in eo maxime a praecedentibus differt, quod vasa, peracto demum opere, deuinciuntur. Sanguinem vero in ipso opere ruentem, ope torcularis in hunc vsum fabricati continet. Arcu quidem chalybeato, lana et corio inuoluto aeger cingitur, cuius vna
extremitas

23) vid. MORAND p. 207 seqq.

extremitas supra ossis ilei superiorem partem excurrit, desinitque in infimis lumbaribus vertebris, iuxta spinam superiorem ilei firmanda, altera extrema pars antè adplicatur ad symphysem ossium pubis. De utraque huius arcus extrema parte, emergit subligaculum ex corio confectum, quod quidem alteri pelvis parti circumducitur. Hoc lorum firmatur fasciae ope, quae inguini sani lateris circumvoluitur, ibique arcum ferreum adnexum habet. Cochlea mobilis, quae huic lora adhaeret, globumque subiectum habet, medio inter spinam ossis ilei et symphysem pubis loco, arteriae crurali adprimitur. Aegrum fere in sanum latus decumbere oportet. Sectione primum femiorbiculari, quae incipit a superiore maioris trochanteris parte, desinitque iuxta tuber ossis ischii, inuolucra cum pinguedine, fascia lata, muscoli glutæi, tendinesque muscoli pyramidalis et utriusque gemelli, obturatores et quadrati inciduntur usque ad articulum. Tunc ligamentum capsulare, digiti apice exploratum, dissecatur. Interea minister femur agit introrsumque movet, sic ut ligamentum illud, quo caput femoris, *coryloideae cavitati*, annectitur, retro trahatur versus tuber ossis ischii, quo facilius illud possit dissecari. His peractis femur versus pectus inclinatur, urgeturque leni agitatione versus pubem, ut caput ossis emoueri possit. Hoc emoto, id quod superest *capsulae*

lae ligamentosae et carniū, circumsecandum est. Ex internis quidem et anterioribus carni- bus lacinia. vel segmen carnis conficitur, cuius longitudinem ac modum ad aegri ha- bitum oportet accommodari. Femore iam demto vasa deligantur, et lacinia illa adduci- tur ad aduersum vulneris marginem, ibique emplastrorum glutinantium ope continetur, relicto tamen hiatu, vt puri et saniei exitus pateat. Puris prouentum circa vasorum vin- cturam haud lacessere oportet medicamentis huic vsui inferuentibus, ne, illa nimis cito cadente, sanguis reuertatur. Fasciarum de- ligationem, supra cavitatem cotyloideam paul- lo laxiorem esse oportet. Ex hac enim qua- lemcunque materiam succrescere, certum est, cuius materiae prouentus adstrictiore fascia retardatur atque impeditur.

Singularem atque inauditam huius cura- tionis methodum proposuit Celeberr. RAVA- TON²⁴⁾, quam, in summa difficultate, omni vsu destitutam esse, existimamus. Etenim si de excindendo femoris articulo cogitare fas est, certe debet omnis talis chirurgiae ratio et fructus, ad eas valetudines vel maxime accommodari, quae capiti, vel supremae fe- moris sedi accidant, et aliam medicinam haud recipientes, sine certissimo vitae periculo to- lerari non possint. Atqui Rauatonianae me-

R 2

thodi

24) Tr. des Playes d'Armes à feu p. 374 seqq. et Chir. d'Armée C. XXVII.

thodi in hoc genere nullus usus est, qua iis tantam fracturis consulitur, quae mediam fere et aliquantam superiorem femoris partem queant infestare. Atqui in tali casu femur de articulo tollendum esse, quis putarit. Femoris enim fracturas grauiore mitiore chirurgia ad sanationem perducere, PAREI et recentiorum nuper obseruationes docuerunt, quas ego supra commemoravi. Quod enim Cl. RAVATON²⁵⁾ scripsit, omnem fere fracturam in hoc osse immedicabilem esse, hoc ita mihi fecisse videtur, vel quod hic nimis meticulousus esset in instituenda medendi ratione, vel in ea exequenda olim fuerit infelix. Dicit enim se multa hoc experientia compertum habere.

Haec autem methodus id praesertim propositum habet, ut arteriae cruralis truncus in ipso opere neque comprimatur vel deuinciatur, neque scalpello attingatur. Primum itaque scalpello recto, eoque satis valido, carnes inciduntur usque ad os, eaque sectio iuxta trochanterem maiorem incipit, desinitque in media femoris parte. Quo facto periosteum finditur, eiusdem scalpelli apice, secundum totam sectionis longitudinem, et utrinque deinde ab osse deglubitur, una cum femoris

25) Chir. d'Armée C. XXVII. De femoris fractura periculosissima prae caeteris legi meretur illa narratio Celeb. BAGIEU Examen T. I. p. 493. Alia exempla felicissimae curationis vid. supra p. 153.

femoris carnibus omnibus, quae illi agglutinentur. Sanguinis profusionem exiguam fore in hac incisione, Cl. RAVATON persuasum habet; verum tamen recte monitum est a Celeberr. BAGIEU, qui hanc methodum vehementer vituperavit, arterias in hac chirurgia dissecandas, non tam exiguas esse, ac RAVATONO videantur. Caeterum illud periostei deglubendi opificium vehementer mihi displicet, oportetque aegrum in crudeli hac atque operosa laniena immanes dolores experiri. Nam a scalpelli iniuria id incolume praestari non posse, ipse Cl. RAVATON intelligit. — Deinde ligamentum capsulare dissecatur, id vero in externa sede fieri oportet, ne arteria princeps, quae in interiore huius membranae parte decurrit, scalpello laedatur. Capsula tandem dissecta ligamentum rotundum abscinditur, et os leni agitatione adducitur atque emouetur. De sanguinis profusione et de arteriae devinciendae artificio, parum equidem reperio in illa RAVATONI descriptione. Torcular emoto osse, in summa femoris sede adplicandum, orbiculatis fasciis continetur. Membrum in media parte femoris scalpello recto abscindit, relictis, quantum equidem in illa descriptionis obscuritate intelligo, paene omnibus illis carnibus, quae secundum longitudinem dissecta fuerunt, ita ut dimidia harum pars superites maneat. Quid his carnibus deinceps, vel a natura, vel a

chirurgia contingat, id Vir Cl. silentio prætermisit.

Methodus, quam Cl. MOUBLET²⁶⁾ ad hanc chirurgiam proposuit, parum differt a WOHLERATIONE, quam supra descripsimus. Cæterum in illa MORANDI, aliorumque expertissimorum virorum auctoritate, inmodestum foret hanc chirurgiam repudiare, ad quam experiendam, et felix in animalibus euentus, et MORANDI spes, similiumque curationum bonus exitus, inuitare possit²⁷⁾.

III.

CRVS ET BRACHIVM AN

POSSIT DE ARTICVLO EXCINDI.

Exstat in Mercurio Gall. A. 1759. dissertationis epitome, quam de hac articulo-
rum curatione in Academia regia Chirurg.
recitavit Cl. BRASDOR²⁸⁾, Chirurgus Parisi-
nus. Hic quidem tantam sibi videtur, in ar-
ticulis excindendis, reperire facilitatem, vt
brachium, adeoque crus, tali modo tutius
tolli sibi perluadeat. Eodem anno prodiit
MOUBLETI exercitatio illa, qui mirum in mo-
dum extollit hanc chirurgiam, adeo vt recen-
tiores reprehendat, qui post illam veterum
auctori-

26) Journal de Médecine T. XI. l. c.

27) De experimentis in animalibus captis vid. MO-
RAND Opuscules de Chir. p. 185 seqq.

28) vid. Mercure de France Mens. Febr. 1759.
p. 173 seqq.

auctoritatem, eam neglexerint. Vterque Veterum exemplo vitur. In MOUBLETI dissertatione magna vis locorum, ex antiquissimis et superioribus scriptoribus congesta est, qui huic methodo faueant. Quam mihi MOUBLETI dissertationem legenti, et scriptorum monumenta accurate intuenti, veteres vel non legisse ille visus est, vel non intellexisse. Etenim qui hanc articulorum chirurgiam vel commendarunt olim, vel vsurparunt, hi fuerunt fere, qui in vitiata parte membrum recidendum esse putarent. Ita intelligendus est HIPPOCRATES²⁹⁾, cuius vel in hac causa parum valet auctoritas, quippe qui dolorem, sanguinis profusionem, animique defectionem nimis in hac curatione extimesceret. *Membra, inquit, ubi iam profusus emoriuntur, ac dolorem non sentiunt, iuxta articulos excidenda sunt ea cautione ne quid violetur. Nam dum qui secatur dolet, quum nondum ea pars, quae secatur, emortua est, maximum periculum est.* HIPPOCRATEM de corruptis non de integris articulis disseccandis loqui manifestum est, et ex his verbis interpretandus est ille HIPPOCRATIS locus, qui paullo superius exstat: *Ad articulos, ossa in manu, pede et in crure, nonnullis ad talum atque in brachio, sine noxa praeciduntur, nisi anima deficiat.* Neque tamen HIPPOCRATES in illa articulorum chirurgia adeo sibi placebat, ut membra ferra praecidi

R 4

nollet.

29) Sect. VI. de Articulis p. 103. Tom. II. Ed. F O E S I I.

nollet. Nam statim addit, posse quoque non ad articulos, sed ad ossis rectitudinem membra praecidi, et hinc chirurgiam aequae non esse reformidandam, quae, illa ad articulos, interdum melius succedat: ἀπὰρ καὶ ὅσα μὴ κατὰ τὰ ἄεθρα, ἀλλὰ κατ' ἄλλιν τινα ἴξιν τῶν ὀστέων ἀποκόπτεται, καὶ ταῦτα ἀσινέα ἐσιν· καὶ ἐπι εὐαλθέτερα τῶν ἐτέρων (*facilius sanantur*). GALENI³⁰⁾ auctoritatem non video in huius loci explicatione. Multo minus apud PAULUM AEGINETAM³¹⁾ tale quid occurrit, qui de membris in articulo excidendis, ne litterulam quidem habet. AVICENNA tam obscure de hac re scribit, ut, quid ille sentiat, deus aliquis viderit. ALBUCASIS³²⁾ autem, quem

30) Opp. CHARTER. Tom. II. p. 448 seqq. GALENUS enim hanc chirurgiam neque laudat, neque reprehendit, HIPPOCRATIS tantum verba explicans. Interim Cl. MOUBLET dicit: GALLIEN est du même sentiment, (in Comment. 36. ad HIPPOCRATEM de Articulis) & soutient qu'il n'y a aucun danger en coupant dans les articulations.

31) EXAEGINETA Lib. IV, Cap. XIX. assert Cl. MOUBLET, ubi aequae non differitur de hac chirurgia, ac in ullo alio AEGINETAE loco.

32) Cl. MOUBLET ex ALBUCASI Lib. I. de Cauteriis allegat, in qua ne verbulam quidem de excidendis articulis exstat. Neque etiam in Chir. P. II. C. LXXXIX. tale quid dixit. Exemplum potius refert de cruce infra genu praeciso. Nihilominus tamen Cl. MOUBLET dicit: PAUL D' AEGINE, AVICENNE, ALBUCASE & tous les Arabes coupoient les Membres dans la Jointure, & donnent

quem de articulis membra semper praecidisse existimat Cl. MOUBLET, tibiam, si fieri posset, semper infra genu resecabat. *Si labes haeret in pectine pedis, tunc incide pedem totum, si autem ascendit ad genu, tunc incide crus ad iuncturam.* Ita quoque intelligendus est GUIDO³³⁾, qui, sicuti in multis aliis locis ab eo factum est, ALBUCASIS sententiam repetit. Hi itaque omnes in vitiata parte secabant, et articulorum chirurgiam tunc demum vulgari rationi praeferebant, quum ad articulum vsque gangraena serpsisset.

Quid autem de PAREO³⁴⁾ et HILDANO³⁵⁾ dicamus, qui licet in vitiata parte nunquam
R 5
secarent,

donnent la préférence à cette Methode, pour la promptitude et la sûreté de l'Operation. Digitos, manusque, sicuti etiam nunc fieri solet tali ratione tollebant.

33) vid. GUIDONIS Chirurgia magna Tr. VI. Doct. I. Cap. VIII. Ed. JOUBERTI p. 272. JOUBERTUS vero hanc sententiam GUIDONIS sua auctoritate non confirmavit, totum illum locum in suo excursu silentio praetermittens. Alio loco sententiam suam explicavit vid. JOUBERT de Vuln. sclopetorum P. VIII. p. 13. Interim tamen neque VIGO, neque FABRICIUS AB AQUAPENDENTE hanc articulorum chirurgiam tentari volunt, quam CELSUS olim periculosissimam haberet. vid. Lib. VIII. C. XXXIV,

34) Lib. XI. Cap. XXV. p. 374.

35) De gangraena et sphacelo Cap. XVII. Opp. p. 804. Ita etiam intelligendus est BARTHOLOMAEUS MAGGIUS de Vuln. sclopet. p. 267 seqq. qui

fecarent, hanc tamen articularum chirurgiam et commendarunt et laudarunt. In illo quidem aegro, cui PAREUS brachium de cubiti articulo excindebat, sphacelus ad illum ipsum articulum erat retardatus, superstite, in humero, inflammatione gangraenosa. Quod si autem labes supra articulum serpsisset, vel infra illum substitisset, non erat ille hanc articuli chirurgiam vsurpaturus. Neque aliter sensit HILDANUS; vehementer quidem laudat hanc chirurgiam, cuius multa commoda expertus cognouerat. — Qui autem vel propter hanc HILDANI auctoritatem articularum chirurgiam nuper proposuerunt, hos memores esse oportet, de digitis atque manibus tollendis, illum loqui, in brachio et genu hanc chirurgiam tunc demum admittere, cum vel in articulo sphacelus subsistat, vel ultra iam ascenderit. Nam femoris et humeri chirurgiam vehementer olim reformidabant, sicuti alio loco a nobis dictum est.

Quae cum ita sint, non reprehendo equidem eorum vel disciplinam, vel voluntatem, qui illam articularum chirurgiam nuper studuerunt ab obliuione et contemptu vindicare, optabile tantum existimans, eius rationem et usum paullo accuratius determinari. Age itaque

qui in sana parte amputare solitus articularum chirurgiam in humero et genu tunc admittit, ubi vitium vsque ad articulum serpsit. Etenim humerum vel femur non audebat praecidere.

que de his breuiter exponamus. Et primo quidem vt a crure incipiam, illud de articulo excindere parum vtile fore existimauerim. Minime me mouet PAREI olim atque HILDANI auctoritas, qui tunc demum consueuerint hoc modo vti, cum alia ratione aeger, (vel eorum sententia) seruari non posset. Ignoscendum est humanissimo illorum virorum timori, qui solus illos a femoris chirurgia reuocasse videtur. Hodie vero permultis exemplis compertum est, femur aequae ac caetera membra ferra praecidi posse, neque sanguinis abundantiam illam tanta mala afferre, quam hodieque nonnulli extimescunt. Si fractura iuxta articulum terminatur, crus loco ad articulum proximo tolli posse, observationibus supra euictum est idoneis. Si ossa articuli perfracta vel gangraena obsessa sunt, tumor plerumque insignis articuli sedem occupat, ita vt difficultatis et doloris plenissimum opus foret illum nudare atque detegere. Deinde vulneris in hac sede curationem diurnam atque operosam esse, recte olim SOLINGENIUS³⁶⁾ monuit et P. DIONIS³⁷⁾. Etenim

36) vid. SOLINGEN Manuale Operationen der Chirurgie p. 100.

37) Cours d'Operations Tom. II. p. 22. Articulos horum membrorum excindendos non esse, a FIBNO etiam monitum est, vid. IUNGKEN Chirurg. Sect. II. Operat. III. Cap. XI. IO. MUNNICKS Praxis Chir. Lib. I. Cap. VII. PURMANN Lorbeerkrantz der Wundarzneykunst p. 914.

nim vulnus in posteriore illa articuli fouea asperum atque hiulcum effici fere necesse est. Deinde condylos femoris nudatos abscedere naturali molitione obseruatio docuit; qua re sanationem protrahi atque multis incommodis exacerbari facile intelligitur. Carnes porro, quibus vulnus operiatur, illis fedibus, paucae et exiguae contigerunt; vt omittam lignei pedis adplicandi, vix oportunum locum ibi superesse. Rotulam enim sinere oportet, quae deinde impedimento est. Caeterum quod Cl. BRASDOR³⁸⁾ de vulneris in ea sede benignitate disputauit, id ingenio potius quam obseruatione, mihi quidem, niti videtur. Hallerianae experientiae, cui vehementer ego fauco, nulla valet ad hanc causam accommodatio. Nam propter tendinum atque ligamentorum hebetudinem illam, articulorum plagae, doloris et periculi expertes non sunt existimandae. Quae Perill. v. HALLER de hoc genere obseruauit, ad nudos tendines vel maxime pertinent. Vaginas, quibus illi induantur, sensu non destitui, istis ipsis HALLERI³⁹⁾ obseruationibus compertum est.

38) Mercure p. 177.

39) De sensu tendinum vid. HALLERI Elem. Physiol. Tom. IV. p. 273 seqq. p. 283. *haec est ea cellulosa tendinum membrana, quam sensilem esse, cum amicis meis aduersarii consensunt et quam remouere oportet, vt tendo certius absque sensu perirebretur.* Ita ego quoque intelligi volo, quae passim de vulnerum

est. Caeterum iuxta tendines nerui decurrere solent copiosissimi. Ita etiam capsulae ligamentosae neruos plerumque vicinos habent, quod in genu articulo praesertim apparet. Ibi enim cutem intra et capsulare ligamentum nerui haud exigui reperiuntur, quibus laeefitis, aequae ac in consueta chirurgia, dolor cum inflammatione concitari queat ^{4o}). . Vt omit-

tam

nerum tendinibus inflictorum dolore et periculo dixi, praesertim in Suppl. V. Sect. I. Haec vulnera caeteris grauiora esse, doloreque acerbiora, vix mihi possum imperare quin persuadeam, consentiente Chirurgorum experientia. Haec vero doloris vis ab ipso tendinum sensu, an a neruis vicinis, vel ab aliis causis forte ignotis pendeat, ingenue profiteor me, vel propriis experimentis, haud exploratum habere. Interim satius mihi atque prudentius videtur HALLERI auctoritatem in hac causa sequi, quam, quod video nonnullos fecisse ieiunos scriptores, illam tanti Viri experientiam sine propria experientia vlla, labefactare. Nam haec quaestio tota nititur experimentorum in animalibus capiendorum vsu, et obseruatione. His praelidiis destituti, qui contra HALLERUM scripserunt, inclarescendi libidine id mihi fecisse videntur.

- 04) Ita etiam HALLERUS eorum obseruationes accipit, qui sensum ligamentis vindicare voluerunt: *In ipsis ligamentis sensum esse, nullo modo certum est, cum passim, in genu potissimum, plurimi nerui cutem inter et articuli velamentum migrent, qui laesi sensum efficiunt. Est autem dolorum sensus eiusmodi, ut ab aegris ipsis sedes doloris aegre distinguatur, quando de duabus corporis partibus valde vicinis quaestio est, l. c. p. 286.*

tam, recentiorum etiam obseruatione comprobari difficultatem horum vulnerum atque periculum.

In cubiti chirurgia olecranium magno impedimento foret, quod ferrula praecidi fere necessario oporteret ⁴¹⁾). In PAREI ⁴²⁾ curatione, illud iam corruptum fuisse puto; nam sphacelus, sicuti relatam est a PAREO, articulum iam fere exederat. Caeterum inutilem esse hanc rationem arbitror, praesertim cum humerus possit sine vilo discrimine ferra resecari. Quod veteres chirurgi, si propter sanguinis profusionem ausi fuissent, non erant illam articulorum chirurgiam administraturi. Verum tamen si sphacelus in articulo iam substitit, si praeterea rotula, vel olecranium carie exeditur, vel si (quod in fractis et in sclopetorum vulneribus accidere potest) ipsa mali ratio viam ad articulum muniuit; tunc potest Chirurgus inchoatam illud naturae opus, dissecto articulo absolueret.

41) Hoc etiam argumento vitur CORN. V. SOLINGEN. C. PURMANNUS, Exercitissimus nuper Chirurgus, militem vidit, cui propter vulnus plumbea glante illisum, brachium tali ratione de articulo excindebatur. Dolor acerbissimus cum violenta inflammatione oriebatur. Tertia die aeger conuulsus periit, vid. PURMANNI Chirurgia Curiosa P. III. C. XII. p. 654.

42) De Gangraena, in Operibb. I. c.

IV.

MANVVM ATQVE DIGITORVM

AD ARTICVLOS AMPVTATIO.

In manu equidem hanc chirurgiam expeditissimam esse persuasum habeo, quam a PATRE meo silentio praetermissam esse non miror. Etenim haec ratio PATRIS mei aetate obsoleta et periculosa habebatur, ita vt HEISTERUS ⁴³⁾ etiam, GARENGEOTUS, DRANIUS, alique nuper clari scriptores, eam vel non commemorent, vel reprehendant, quae hodieque a plerisque contemnatur. Interim tamen nonnulli nuper coeperunt hanc facilem atque expeditam curationem ab oblivione atque contemptu vindicare, quam usitata illa amputatione multo expeditiorem esse facile intelligitur. Summa chirurgi diligentia in eo collocata esse debet, vt cutem reducat. Carnibus circumsectis manum convenit tantillum inclinare, ita enim articulus scalpello facilius dissecatur. Tunc cutis iterum adducitur, quam expedit supra truncum consuere, vel emplastrorum ministerio continere. Hac methodo feliciter nuper usus est Cl. TRECOURT ⁴⁴⁾, de cuius amputatione ad malleolos alio loco dictum est.

In

43) HEISTERUS profitetur nullum sibi talis curationis exemplum innotuisse T. I. p. 471.

44) vid. Memoires et Observations de Chirurgie par Mr. TRECOURT à Bouillon 1769. p. 265 seqq. Celeberr.

In digitorum chirurgia, optimum esse putat PATER meus, si de articulo pars vitiatata excindatur. Si id quod abscinditur totum vitiatum est, nullam haec res difficultatem parit, vidique digitos integros tali modo ex articulo feliciter emotos. Vbi vero digiti phalanga quaedam tota corrupta non est, ibi satius existimo cum Celeb. CAMPERO ⁴⁵⁾ scalpro excisorio illam submittere et malleo ligneo percutere. Nam ut omittam ligamenti in sana parte dissectionem difficultatis ac molestiae plenam esse, sanguinis profusio propter arterias illas, quae in extremo utrinque digiti margine excurrunt, extimescenda est, quam etsi periculosam haud fore intelligo, satius tamen arbitror, in leui etiam causa, eo modo

Celeberr. SABATIER, cuius mihi institutio et humanitas multum in his rebus profuit, in Valerudinario laesorum militum (aux Invalides) feliciter talem curationem perfecit, neque etiam vel tendinum, vel ossium successit *exfoliatio*, quam plerumque extimescunt. Ita etiam Ill. Comiti DE ST. FLORANTAIN manus ad articulum excindebatur. Eiusmodi etiam chirurgiam administruit Cl. PAIGNON. Aeger elapso mense conualuit vid. *Mercure de France* A. 1769. p. 177.

45) vid. CAMPERI *Demonstrat. Anatom. Pathol.* p. 16. Haec mallei chirurgia figuris expressa est apud HEISTERUM et SCULTETUM. Hanc rationem valde antiquam esse oportet, eius enim mentio exstat apud GUILLEMEAU *Operations de Chirurgie* l. c. Varia scalpra habet SOLINGEN; ligneum malleum omnes fere praefereunt plumbeo.

modo vti, qui sit tutissimus atque expeditissimus. Aptius esse credit Cel. CAMPER⁴⁶⁾, digiti dorsum, obici imponere, aciemque scalpri internae faciei immittere, quam, veterum more, diuersa id ratione facere. Obseruatione quoque didicit CAMPERUS, os in tali curatione non contundi aut collidi, sed sine fragimento praecidi, et arterias ac neruos sic melius, quam scalpello discindi. Quod vero eadem ratione manum in metacarpo tolli debere existimat, in eo quidem dissentio ab Ill. Viro, satius existimans, vitiatu metacarpo manum de articulo tollere, propter artefactae manus adplicandae maiorem commoditatem.

Vbi digitus totus demendus est, difficultatem haud exiguam parit carni septi sectio. Quando sphacelus vel aliud vitium vsque ad articulum serpsit, tunc expeditius illa curatio succedit, tuncque potest sine magno incommodo totus digitus, incisus vtrinque carnibus et dissecto ligamento capsulari, emoueri. Si vero molles partes iuxta articulum integrae sunt, operosa est atque molesta haec sectio. Cui olim incommodo HILDANUS⁴⁷⁾, vt quantum fieri posset mederetur, instrumentum haud ineptum excogitauit, quod malleo ligneo intrusum, digitum vno ictu de metacarpi articulo tolleret. Illud vero scalpri
fere

46) V. CAMPERI Demonstr. Anatom. Pathol. p. 16.

47) De Gangraena et Sphacelo C. XIX. Opp. p. 817.

fere ministerio fungitur, a caeteris tamen scalpris, quorum lamina recta esse solet, in eo maxime differt, quod lamina HILDANI semicirculum oblongum describit. Huius vero semicirculi oblongi modus, ad articuli magnitudinem accomodatus est, ita ut acies laminae, articulo ad metacarpum imposita, articulum circumscribat, totumque digitum comprehendat. Tunc manubrio instrumenti malleus ligneus immittitur, cuius vno ictu, totus digitus de articulo emoueat. Non dubito fore plerosque, qui hanc obsoletam curationem a me iam repeti mirentur, quam, propter percussione et fragmentorum metum, recentiores repudiandam putarint. Verum tamen ab hoc metu quemque potest experientia liberare. Nam et HILDANUS olim ea ratione feliciter vsus est, et SOLINGENIUS⁴⁸⁾ vehementer eam commendauit, cuius me experientiae multum tribuere profiteor. Neque primus ego sum inter recentiores, qui illam HILDANI curationem ab obliuione vindicare studeat. Etenim HEISTERI Commentator Expertissimus, IO. VLHOORN⁴⁹⁾, illud HILDANI instrumentum plurimum extollit. Contusionis et fragmentorum metus fere inanis est, quod multae observationes testantur.

Quod

48) l. c. p. 415 seqq.

49) In belgica HEISTERI versione p. 571.

Quod reliquum est memores oportet esse chirurgos, ad digitorum chirurgiam nimis properandum haud esse. Etenim quilibet digitus duas insignes arterias nactus est, quarum vna in dextro, altera in sinistro margine decurrit. Dum itaque digiti vna pars integra perhibetur, spes est, eum ad sanationem perductum iri. Neque etiam contusio, vel fractura nimis extimescenda est. — In manu vero deliganda cauendum est, ne vola intrinsecus pannis ac fasciis, vel etiam, quod temere nonnulli faciunt, duriusculis corporibus comprimatur. Nam in vola manus arcus ille arteriosus excurrit, qui radialis et vlnaris arteriae conspiratione effingitur. Ex hoc arcu rami illi digitorum nutritioni inservientes abeunt. Illo itaque compresso et digitos emori, et sanguinis profusionem intendi, nemo dubitabit⁵⁰⁾.

Horum, quae iam sum executus, facilis est, ad pedis extremi eiusque digitorum chirurgiam, accommodatio. Singulus aliquis digitus pedis vbi tollendus est, fatius est eum de articulo excindere, quam *forcipe incisiva* tollere. Vbi vero omnes digiti demendi sunt, ibi fatius arbitror scalpro illos omnes simul tollere, quam dissectis ligamentis, vti a GARENGETO⁵¹⁾ praeceptum est, excindere.

S 2

Nam.

50) vid. CAMPERI Demonstratt. Tab. I. Fig. II. cf. EUSTACHII Tab. XXV. MALLERI Icon. Anat. Fasc. VI. Tab. IV. Fig. V.

51) Operations T. III. Arr. V. vbi etiam (vid. Obs. XXXI.)

Nam in digitis, pedis praesertim, illa curatio, quae ope scalpri perficitur, expeditissima est, quam aliquoties olim tentavit HEISTERUS⁵²⁾. GARENGETI vero methodus operosa est, propter ligamentorum ac tendinum dissecandorum multitudinem. Neque in illis angustis haec sectio solo scalpello, commode perfici potest, sed forcicem curuam subinde inter pedis digitos immittere oportet, qua saepius repetita scalpelli et forcicis commutatione, opus protrahi et dolores vehementer exacerbari, manifestum est. De pedis extremi ad articulum amputandi ratione praecipere quidquam atque stabilire non audeo; etenim talis ego curationis nullum exemplum vidi, nec memini eius generis me observationem legere⁵³⁾. Caeterum non dubito, quin aeque possit ac in manu haec chirurgia tentari, hoc tamen discrimine, ut nisi malum in ipso articulo vel iuxta illum consistat, difficilius hoc quam in manu fieri putem. Etenim huius articuli emouendi magna foret

XXXI.) talis curationis exemplum commemorat. Ipse tamen confitetur doloris plenissimam, et operosam illam chirurgiam fuisse; aeger versus quartum demum mensem conualuit.

52) Tom. I p. 468. Eadem ratione feliciter usus est ROONHUYSIUS, vid. Obs. Chir. XXV. (ex HEISTERO).

53) vid. HENR. RAYMOND et Praesidis LEVESSE Diff. Ergo amputatio in ima pedis iunctura celebranda, Parisiis 1760.

ret difficultas, quam vereor ut vlla possit chirurgi, vel dexteritas, vel diligentia superare. Deinde cutem atque carnes suppetere non puto, quibus vulnus obtegatur, quod in eiusmodi curatione summe necessarium est. Vulnus enim tali inuolucro destitutum, circa articulos praesertim, facile alienatur, moueturque, in tendinibus et ossibus, exfoliatio molesta atque diuturna. Vbi itaque malum altius iam serpsit, quam ut resecto medio metatarso illud sanari queat, iuxta malleolos crus praecidi fere necesse est.

UMF

E P I T O M E.

SUPPLEMENTVM I. DE INFLAMMATIONE ET SUPPURATIONE.

SECT. I. SEDES INFLAMMATIONIS ET CAUSA.

PATER MEUS CUM BOERHAVIO in arteriis lymphaticis inflammationem quaerit (p. 3) HALLERI contra hanc doctrinam argumenta 1) ab arteriarum progressionem, 2) ab observatione cadauerum, 3) ab iniectionum experimento; quibus euincitur sanguinem inflammatum in tela cellulosa quiescere (p. 4. 5). Est tamen in vera plerumque inflammatione arteriarum quaedam obstructio, consentiente HALLERO (p. 6). Apud veteres Graecos scriptores paene omnes, HALLERI doctrina deprehenditur (p. 7—9) et apud nuperos superiorum saeculorum scriptores (p. 9. 10). Veteres, *παρεγγυμα* dicentes vasis interiectum esse, telam cellulosam intellexerunt.

SCHREIBERUS (vid. Not. 3) idem iam docuit in Medicina mathematica. De sede inflammationis (ad p. 6) legi etiam meretur FRANCISCI VACCÆ liber de Inflammationis morbosae natura et causis, Florentiae 1765. Arterias rubras (ad p. 4 et 7) minimas, quae oculi aciem effugiunt, negavit nuper WENCESLAUS IO. NEPOM. LANGOWERT

WERT in Theor. Med. de Arteriarum et Venarum in C. h. affectionibus; nullam inflammationem putat esse sine obstructione (ad p. 10. Not. 27).

THEOPHILI BORDEU sententia de inflammationis sede (p. 11). A contextus mucosi, in sanguine, abundantia plethoram repetit.

In causa inflammationis a BOERHAVIO dissentire videtur PATER meus, febrem non ab obstructione, sed a stimulo repetens (p. 12). Argumenta contra Boerhavianam obstructionis doctrinam (p. 12. 13). Inflammatio stimulo concitatur. Ita Stahliani statuunt consentiente haecenus HALLERO (p. 13—15.) Vulnerum inflammatio quomodo oriatur.

STAHLIANORUM quorundam et imprimis GORTERI sententia de oscillatione vasorum minimorum, quae a cordis potestate libera, propriis viribus sanguinem moueant. Haec oscillatio a sano et tranquillo animali abest (p. 16. 17). Contingit vero praeter naturam, ideoque plurimum ea potest ad congregandum sanguinem, et ciendam inflammationem conferre. Probat hoc motus sanguinis inuersus et perturbatus (p. 17--19).

Huc etiam referatur GUALTH. VERSCHUIR Diss. De arteriarum et venarum vi irritabili, eiusque in vasis excessu et inde oriunda sanguinis directione abnormi. CAMPER in Demonstratt. Anat. Pathol. p. 14.

Ad extollendum tumorem plurimum confert intestinus motus sanguinis. Aëris vis. Cur

ab obstructione vasculorum tumor extolli non possit (p. 20--23).

Inflammationis partitio vulgaris fundamento destituitur. Erysipelas non cernitur in feri arterias serofas obstruentis inflammatione. Melior inflammationis partitio ducitur, a humorum effusorum natura, et stimuli diuersitate. Veterum doctrina (p. 23).

SECT. II. INFLAMMATIO VENOSA.

Quibus argumentis ea vulgo reiiciatur. De conica figura venarum dubitatur. Sanguinis motus in venis impeditus est facileque perturbatur et inuertitur, praesertim in venis, quibus valuulae non contigerunt. In his turbis venae etiam micare solent. Indequae sanguinis retardatio et accumulatio (p. 24-26).

Conicam valorum figuram in vniuersum quidem haud reiecimus.

Sanguinis in venis accumulatio venarumque obstructio, cur febrem haud concitare vulgo existimetur. His argumentis dilutis venarum inflammatio euincitur.

SECT. III. CRVSTA. ORIGO PVRIS.

Crusta non fit calore, vti PATRI meo placet. Vtrum ab agitatione sanguinis oriatur, an cruditate humorum gignatur. In chronicis morbis obseruatur (p. 29--35).

Huc etiam pertinet DE LA MURE Recherches sur la cause de la pulsation des Artères, sur les mouuements du cerveau, & sur la coenne du sang, à
Mont-

Montpélier 1769. Ex HAENIO (p. 31. Not. 67) non p. 78. sed totum Cap. VI. huic referri debet.

Pus non conficitur in ipso tumore, sicuti BOERHAVIO nuper et PATRI meo placuit, sed in sanguine continetur. Vascula non rumpuntur, neque cellulosa tela cum sanguine commixta liquefcit. Pus fieri potest sine inflammatione. HAENIUS et ante eum QUESNAY crustam inflammatoriam pro circumfluente pure habendam esse putant. Haec sententia confirmatur observationibus nonnullis et argumentis. Pus itaque sanguinis, vel naturali, vel morbosa cruditate fieri videtur, quae in sero sanguinis praesertim haereat, et cum hoc, inflammationis stimulis ad locum affectum alliciatur (p. 35—46). Pus ignearum molecularum turbis dissolui et coqui in tumore existimat Cl. FABRE (p. 47—48). Suppurationem futuram non semper praecedit horror (p. 48).

SUPPLEMENTVM II. AD VVLNERA PERTINENS.

SECT. I. VVLNERVM SANATIO.

Vulneribus, quae sunt cum carnis iactura nulla contingit noua caro, sicuti a PATRE meo et a plerisque existimatur. Quis primus nuper de illo naturae beneficio coeperit dubitare (p. 53). 1) Caro in talibus vulneribus vere non attollitur, sed exhaustis ac depressis partibus circumiectis, vulnus videtur emergere

(p. 53. 54). In exhaurienda ac deprimenda tela cellulosa circumiecta, naturalis vulnerum medicina vel maxime cernitur, vti Cel. FABRE et Ill. LOUIS placet (p. 56). 2) Tubercula carnosa quid sint in vulnere? (p. 57) 3) Quid sit verum in nonnullorum narrationibus, quae iacturae illam naturalem reparationem videantur comprobare (p. 58—61). Extensio vasorum a Cel. QUESNAY proposita cur contingere non possit (p. 59). 4) Plantarum, ac nonnullorum animalium exemplum, cur ad hanc causam non possit accommodari (p. 61—63). 5) Attamen vulnus qualicumque materia impleri, negari non potest, modo organicae partes non dicantur restaurari. 6) De futuris vulnerum quaedam.

De his alio loco fusius dicetur.

SECT. II. ΘΡΟΜΒΟΣ.

Si magna vulnera sine sanguinis profusione fuisse narrantur, hoc vel propter gangraenam, vel propter arteriarum hebetudinem et contusionem fieri existimandum. *Thrombus* non a PETITO primum observatus fuit, quem veteres Graeci bene norunt (p. 67). De thrombi veritate testimonia et observationes. Polyposae concretiones, a frigore plerumque et morte (p. 68). Vel ideo tamen thrombus non potest in dubium vocari, cuius veritas in aneurismate praesertim confirmetur (p. 69. 70). Thrombus effici videtur carniū et vasorum retractu (p. 69—71).

Plura testimonia de thrombo exstant p. 199.

SECT.

SECT. III. AGARICVS.

De lycoperdo, quod omiffum est in Inftitut. Chir. breuis narratio (p. 73.74). Quando alcohol vini conueniat (p. 74). Omnibus fere fungis communis est in fanguine continendo facultas. Stiptica tamen virtute deftituuntur (p. 75). Primus nuper agaricum quernum, ad chirurgiae vsum accommodauit BROSSARDUS. An fuperioribus faeculis haec agarici vis cognita fuerit (p. 76.77). Quomodo adhibeatur (p. 78). De fingulari eius bonitate obferuationes et testimonia (p. 78-80). Qui vel mediocre, vel incertum hoc medicamentum dixerint (p. 80).

Huc pertinet etiam: An Account of the Topical Application of the Sponge in the Stopping of Haemorrhagies by CH. WHITE 1762.

SUPPLEMENTVM III. ANEVRISSA
SPVRIVM.

1) De Pathologia huius morbi nouae obferuationes. Noua FOUBERTI partitiō: *aneurifme primitif et confecutif*. De huius partitionis fundamento (p. 82-84).

HUNTERI partitiō noua: *aneuriffma quiefcens et erumpens*.

Aneuriffmatis nouum genus a HUNTERO obferuatum (*the varicous aneuriffme*). In hoc genere et arteria et vena laefa est, ita vt fanguis ex hac in illam, et viciffim feratur. Huius

ius aneurismatis signa (p. 85). Observationes, quibus illud aneurismatis genus comprobatur (p. 86).

2) De machinis nonnullis, ad comprimendum aneurisma, nuper inuentis. Instrumenti a PATRE meo propositi emendatio. VAL-LANTI, FOUBERTI, ACRELLII, ARNAUDII machinae (p. 87—90).

Cur agaricus in aneurismate prae caeteris idoneus sit (p. 91).

3) Deligatio. Veteres Graeci Medici eam non ignorarunt (p. 92). Ea vario modo instituitur. Duo interdum vincula iniiciuntur, vt tumor inter vincula medius excindatur (p. 93). Duplex vinculum, quod PATER meus exigit, haud semper necessarium est (p. 93. 94). Nerus in vincturam comprehendi potest, quem deglubendum esse PATER meus existimat, cum plerisque scriptoribus. MOLINELLI de hac re obseruatio. Quid neruo deligato contingat, ex MORGAGNI obseruatione (p. 95. 96). Qua ratione neruus ab arteria seiungatur, si id necessarium videatur (p. 97). Si duae arteriae sibi vicinae sunt, tunc deligatio vel omittenda, vel sic instituenda, vt sana arteria cum laesa in vinculum simul comprehendatur (p. 97).

Lata acus in Institutt. Chir. delineata parum hodie vsurpatur (p. 98).

LAMBERTI, Angli Chirurghi, methodus, qui, sutura ad arteriam facta, ausus est aneurismatis curationem instituere.

Exstant

Exstant in PLENKII Observationum Fasc. II. observationes nonnullae ad aneurisma spurium pertinentes. Alterum ego harum Obs. fasciculum, nondum legeram cum illud Suppl. III. nostrum typis excuberetur. vid. PLENKII *Beobachtungen über einige Gegenstände der Wundarzneykunst, II. Band Sect II. p. 22 seqq.* Inter alias observationes narratio exitat de aneurismate *consecutiuo* vel *quiescente*, ut HUNTERO dicitur, quod post quinque demum septimanas animaduertebatur. Expertissimus LEBERUS acu singulari et praegrandi utitur, cuius figuram exhibet PLENKIUS Tab. I. fig. VII. plerumque tamen folius compressionis et agarici miniterio, aneurismata ad sanationem perduxit. Extant etiam memorabiles quaedam de hoc genere. observationes in the *Essays and Observations, read before the Philosophical Society in Edimburg Vol. III.* vid. *Celeb. RICHTERI Bibliotheca Chirurgica.* Refert ibi DONALDUS MONRO, aneurismata spuria, si sanguis diffusus sit, superimposita glacie a Lisbonensibus Chirurgis ad sanationem perducere. Mauult neruum separari, quam in vinculum comprehendi. Specillo in vulnusculum arteriae immisso hanc eleuat, sicque neruum putat ab arteria secedere, quod nobis quidem difficile et periculosum videtur.

SUPPLEMENTVM IV. GANGRAENA.

Gangraenam non esse effectum inflammationis, vel febris violentioris ostenditur (p. 100-102). Vbi inflammatio in gangraenam abit, hoc accidit 1) propter neruorum et cerebri stuporem. Inde in inflammationibus, quae statim ab initio suat cum sensus hebetudine,

dine, aut virium defectione ac' cerebri stupore, gangraena imminet (p. 103. 104).

Gangraena 2) oritur a stupore fibrarum, inde in contusis et fractis (p. 105. 106).

Humorum malignitas, quae gangraenae faueat, varia est. Abundat praesertim vel caustica, vel bilioso-putrida materia (p. 106. 107).

Gangraenae humidae et siccae differentia explicatur. Gangraena sicca haud semper chronica est, vti nuper putabatur. Ea etiam inflammationibus et putridis febribus supervenit (p. 108).

Gangraenae partitio in *externam* et *internam* rejicitur. Gangraena enim, vel plerumque, ab interna causa nascitur. *Externa* gangraena dici potest, vbi pars quaedam organica penitus destructa est, vti v. g. in vulneribus sclopetorum (p. 109).

Vbi gangraena valetudines externas sequitur, tunc ea maxime accidit propter humores ad locum vexatum congregatos, aequae ac dictum est de suppuratione.

Curatio itaque vel maxime ab interna medicina petenda est. Antiseptica externa parum valent (p. 110. 111).

Sicca et chronica gangraena non sine putredine est, vt vulgo creditur. Ideo minus recte in *putridam* et *siccam* a nonnullis dividitur (p. 111).

Variae observationes de gangraenae siccae et humidae discrimine.

Gangraena

Gangraena critica et salutaris. Ad nates interdum et dorsi carnes erumpit. Talis gangraena non commiscenda est cum eo genere, quod fit a diuturno decubitu. Neque medicamentis, neque scalpello tale vlcus gangraenosum tentari debet (p. 113. 114).

Scarificationes in gangraena perperam vituperantur a Cel. SHARPIO. Eas tamen haud nimis profundas esse oportet (p. 114).

Alienus est mos eorum, qui mortuum vt aiunt, a viuo separare tentant (ibid. seq.).

De corticis Peruuiani vsu in gangraena, litteraria narratio (p. 115. 116). Nonnulli in sicca gangraena corticem alienum putant, quorum opinio refellitur (p. 117 - 119). In quo gangraenarum genere sit expetendus, in quo fugiendus, ostenditur, (p. 119. 120).

Alia medicamenta quaedam corticis Peruuiani facultatem attingant (p. 121).

Extrinsicus parum valet. (ibid.)

SUPPLEMENTVM V. AD AMPV- TATIONEM PERTINENS.

Post PARENTIS mei aetatem, in praecidendis membris mitior facta est chirurgia (p. 123. 124).

Vulnus, quod amputatione infligitur, periculosissimum est, et grauissimo vulnere colliso interdum periculosius (p. 125 - 128).

In munditie humorum et aegri robore, certum haud est boni exitus indicium (p. 128).

Nonnulli

Nonnulli, sanitatem et sanguinis refluxum, in hac causa nimis extimescunt (p. 129).

BILGUERUS argumentis illis, quibus amputationis periculum comprobetur, abutitur (p. 131).

Si princeps cuiusdam membri arteria laesa est, membrum seruari rarissime potest (p. 132).

Quid verum sit in illis narrationibus de vulneribus arteriae cruralis ad sanationem perductis (p. 133 - 135).

An propter gangraenam oporteat membrum praecidi? Retardatio gangraenae spontanea euincitur (p. 135 - 137). An gangraena extrinsecus serpat, secundum plerorumque opinionem? (p. 138). Amputatione, gangraena haud semper coercetur (p. 139). Gangraenam extrinsecus non adeo serpere porro ostenditur (p. 140).

Si ossa, praesertim iuxta articulos, valde collisa sunt, ad amputationem haud statim deveniendum est. PATER meus ab his vulneribus nimis parum sperat. Hic metus communis nuper erat illius aetatis chirurgis (p. 141. 143). Talia vulnera ad sanationem perduciposse, observationibus ostenditur (p. 144). Femoris etiam vulnera, licet caeteris periculosiora, sanationem recipiunt. De hac re observationes (p. 145. 146).

Neque propter peruersitatem humorum mitioris curationis spes abiicienda est (p. 147).

De

De instituendis incisionibus, ad vulnera sclopetorum, et fracturas observationes quaedam (p. 147 - 149).

Glandium per membra ambages; illas non ab ossibus solum, sed etiam a mollibus partibus repelli ostenditur (p. 150).

Si membrum luxatum est, id primum oportet in sedem suam dari, antequam incisio tentetur; *EX PETITO* (p. 150). Cum propter fragmenta, os, quod medium et transuersum perfractum est, conseruari nequit, tunc ossis partem asperam ferra tollere conuenit ex consilio *PETITI* (p. 151). Neque etiam aeger claudicabit. De ea re observatio (p. 152).

De humeri, brachii et cruris felicissimis curationibus exempla (p. 153. not.).

Vulnera pedis extremi collisa amputationem haud semper exigunt (p. 153. 154). In his an possint incisiones in loco vulnere aduerso tentari (*contreouvertures*)? (p. 155) Vbi fatius videatur praecidere pedem quam seruare? (p. 156).

Vulnera articulorum cum fractura grauiore, quando in his possit membrum seruari?

Fracturae capitis humeri, amputationem haud semper exigunt (p. 157. 158). De harum curatione observationes, (ibid.) Quo modo fragmenta de hac sede educantur. Incisio capsularis ligamenti. Vulnera et fracturae ad cubiti articulum, sine amputatione, interdum fa-

nari posse, PAREI et aliorum observationibus ostenditur (p. 160. 162).

Fracturae ad medium cruris articulum, illis quae cubito accidunt, interdum sunt tolerabiliores. Ligam. caps. incisio (p. 162. 163)

Articulorum contractus, post talem curationem quomodo auertatur.

Stupor in vulneribus sclopetorum a commotione (p. 154). Huius vis maior est in diaphysibus quam in apophysibus (p. 165). Haud omnes aegri eam experiuntur; ubi autem illa adest, amputationem differre conuenit.

De vi globulorum, membra ipsa non attingentium, recentiorum observationes (not. 43).

Commotiōni illi nimis multum tribuitur a nonnullis. Vbi certum est membrum seruari non posse, ibi amputatio non retardanda (p. 168 - 171).

SECT. II. DE LOCO AD INCISIONEM DELIGENDO.

Veteres iam tum Graeci in vitiata parte secandum esse putarunt. Horum et nuperiorum scriptorum testimonia (not. p. 172. 173).

PATER meus, rimas et fragmenta nimis in hac causa extimescit. An propter fragmenta supra genu oporteat crus praecidi? (p. 173 - 176). Serram posse supra fragmenta duci, et crus proxime ad genu praecidi, observatione comprobatur (p. 177).

Pes extremus ad malleolos praecidi potest, quem PATER meus sub tubere ossis tibiae semper tollendum esse putat. De hac re observationes (p. 179-181).

SECT. III. DE AMPVTATIONE BENE INSTITVENDA (p. 182).

De situ aegri monita (p. 183). Machina, qua vtitur Cel. BERTRANDI ad firmandum membrum (p. 184).

Satius est inter duo vincula incidere.

De instrumentis nonnullis narratio, et praefertim de vsu cultri curui (p. 185. 186).

Si duo ossa tollenda sunt, expedit ea iniecto vinculo firmare (p. 187).

De *iterata sectione* (*amputation en deux tems*). Eam reprehendit Celeberr. LOUIS de cutis retractu dubitans. Recentiorum quorundam de iterata sectione praeceptum (p. 188. 189).

In brachio ac tibia iteratam sectionem commendat Ill. LOUIS (p. 190). Huius methodus; fasciam superiorem aufert, vt carnes resilire queant (p. 190). Aliter sentit Cl. POUTEAU ibid. Auctoris sententia. LOUISII methodus defensa (p. 192-194). Porro iubet Cel. LOUIS, carnes scalpello ab osse seiungere. De hac methodo dubia (p. 194-196).

CELSI locus explicatus (p. 196. 197).

SECT. IV. ARTERIAE VINCTURA.

Veteres quomodo arteriam compresserint (p. 197). Fasciae tortilis et torcularis incommoda. Digiti pressus in maximis arteriis interdum sufficit (p. 197. 198).

Torcular ante PETITUM et MORELLUM SCULTETUS depinxit (p. 198).

Arteriarum vinctura non a PAREO, ut vulgo creditur, excogitata fuit. EX HIPPOCRATE, GALENO ET AEGINETA testimonia. Quid sit Graecis *σπιθεις, αποληψις, βροχος* (p. 200. 201). Cur ab his scriptoribus arteriae vinctura in amputatione non commemoretur? (p. 202).

ARCHIGENIS LOCUS EX ORIBASII Collect. Lib. XLVIII. explicatus. ARCHIGENES eadem ratione, qua PAREUS utebatur, arteriam in amputatione deligavit (p. 202. 203). PAREUS arteriae vincturam restituit. Qui eam improbarint (p. 204. 205).

Nonnulli hodieque sola compressione utuntur. Methodus, quam POUTEAU, THEDEN, FABRE, Expertiss. Viri nuper proposuerunt (p. 206-208).

Vincturae duo modi, forcipe et acu. PAREUS et GUILLEMEAU forcipe plerumque utuntur. *Forceps* elatere munitus (*valet à partin*) iam delineatus existat apud IAC. GUILLEMEAU (p. 208. 209).

Deligatione arteriae, quae acu perficitur, PAREUS alia ratione usus est, quam hodierni

dierni Chirurghi. Varii deligationis modi (p. 210-212). De carne quantum possit in vinc-turam comprehendi? (p. 212-214).

SECT. V. DE TRVNCI CVRATIONE.

Cl. POUTEAU inutilem esse putat operam eorum, qui carnes continere circa truncum student. An recte hoc faciat? (p. 215. 216).

Sutura cruciata, ante PAREIAUCTORITATEM a BARTHOL. MAGGIO vsurpata. Qui eam ante laudarint nuper, aut reprehenderint (p. 216. 217.) Eam repetit et adornat Celeberr. SHARP (p. 218). Cl. BAGIEU de hac futura praeceptum. Glutinantia emplastra vituperat Ill. LOUIS. Truncum in deligationis opere haud inflectere chirurgus debet (p. 220).

Fasciae vulgares reiiciuntur (p. 220).

LOUISII fascia orbiculata, aduersus Cl. POUTEAU iudicium defensa (p. 221. 222).

Ossis eminentia. LOUISII et BAGIEU sententia. Ossis apice nudato, naturae molitio quaedam sperari potest. Os quod periosteo indutum est, ferrula tolli oportet (p. 223). Cl. VEGRETI obseruatio (p. 224).

Arteriae vinc-turam tollendi modus proponitur (p. 225).

SECT. V. METHODVS, QVAE GAL-LIS DICITVR AMPUTATION A LAMBEAU.

PATRIS mei et HEISTERI in hac methodo breuitas (p. 225). Apud CELSUM non exstat eius

eius mentio (p. 226). Neque apud GALENUM. FR. HOFFMANNI error in adscribendo GALENI loco.

Quae p. 227. de Francogallorum quorundam in allegandis scriptoribus negligentia dixi, multis ego potuissem exemplis comprobare. Inter alia meminimi me videre, ante duos et quod excurrit annos, Volumen V. Mem. de l'Acad. des Sciences. Incidi in Observationes de tunica choroidea a DESAMETO quodam scriptas. Ibi dicit p. 185. PARISINI a *separé dans une lionne, une lame de la eboruide, qu'il appelle le tapis.* Ego vero, qui nullum scriptorem PARISINI nomine clarum noueram, ut scirem quid rei esset, varios libros adi, et amicos nonnullos interrogavi, an forte, quis sit ille PARISINI, certior fieri possem. Sed nequicquam. Paulo post in Perill. HALLERI Physiologiae Tom. IV. in notis vidi, in simili causa, ubi de oculo differitur Parisinae Academiae socios et scriptores hoc nomine indicatos: PARISINI. Et saepius hoc nomine solet HALLERUS Commentarios Acad. Sc. in notis suis laudare. Ita igitur comperi quis fuerit ille PARISINI. Gallus itaque scriptor, HALLERI Physiologiae usus, illud ipsum nomen, quo suae Societatis scripta indicarentur, pro clari cuiusdam scriptoris nomine habuerat. *Mr. PARISINI a separé une lame.* — Difficile profecto est, satyram non scribere. — Paucos ego inter recentiores Gallos vidi, qui Celeberr. LOUISII et Celeb. DE LA FAYE diligentiam in hoc genere aequarent.

Huius methodi apud BARTHOL. MAGGIUM vestigia (p. 228).

Illum ego MAGGII locum nimis ornauim. Vix potest ad hanc causam accommodari.

Non

Non **VERDUINO** repetenda est hæc curatio, quam iam vsurpauit **I. LOWDHAM** (p. 229). **VERDUINI** ratio (p. 230). Eam **KOENERDINGIUS**, Chirurgus Amstelodam. tentauit, et mox deinde reiecit (p. 231). **RUY-SCHII** iudicium (p. 230. 231).

SABOURINI methodus (p. 232. 233).

GARENGETI emendationes (p. 233 seq.).

Methodus **RAVATONI** à *deux lambeaux* (p. 234 seq.)

et **VERMALII** (p. 235 seq.). In vtriusque curatione vasa deligantur. **GARENGETI** emendatio quaedam (p. 237). Quando **VERDUINI** methodum vsurpari velit **Celeberr. LOUIS**. Summi Viri in illo loco obscuritas (p. 237 - 239).

EL. FR. HEISTERI curatio, quo sit referenda. Noua non est (p. 239).

SUPPLEMENTVM VI. DE EXCINDENDIS ARTICVLIS.

SECT. I. HUMERI EXCISIO.

Non **H. FR. DRANII**, sed **FR. SALV. MORANDI** Pater hanc curationem primus tentauit. Qua ratione fuerit **DRANIUS** ad illam Chirurgiam delatus (p. 240). Ad eam nimis nonnulli properant (p. 241).

Si caput humeri, reliqua ossis parte integra, corrumpitur, facta per carnes incisione,

T +

caput

caput humeri emoueri et ferra praecidi potest (p. 241). CH. WHITII memorabilis de hac re obseruatio (p. 242 seq.).

Exstat de hac curatione eiusdem WHITII dissertatio in the Philosophical Transactions Volum. LX. p. 100. Ibi etiam hoc monet Celeberrimus Vir, eandem chirurgiam in femore tentari posse.

GARENGETI methodus (p. 243. 244).

et SHARPII (p. 245).

et HENR. FR. DRANII (ibid. et 246).

Celeberr. DE LA FAYE curatio. De vinctura prima illa omittenda, ante DRANIUM cogitauit (p. 247 seq.).

Methodus, qua vtitur Celeberr. BROMFIELD (p. 248. 249).

Haec mihi scribenti, eiusdem BROMFIELDII novissimus liber a librario quodam mittitur: *Cbirurgical Observations and Cases by WILLIAM BROMFIELD in two Volumes, London 1773.* Auide perlegi bonam huius libri partem, in quo multa exstant de amputatione membrorum. Serio horratur, ne neruum in arteriae vinculum comprehendamus (p. 160. 291). Laudat futuram cruciatam (p. 182.) et emplastra glurinantia (p. 184).

Sed praesertim nouam eius in excindendo humeri articulo methodum, hoc loco commemorandum putavi. Illam enim, quam nos p. 248. 249. commemorauimus, prorsus dereliquit. Vtitur autem ratione tali: (vid. BROMFIELD p. 248 seqq.) Arteriam subclauiam fortis atque constantis viri ministerio comprimendam curat. Is, qui comprimit, aegro a tergo collocatus est, ita vt manus supra axillam aegri inflexa ad subclauium sinum descendat. In sectione autem instituenda hoc consilium propositum

fitum habet, ut duo segmenta de musculo deltoideo efficiantur, quorum segmentum externum, interno quod ad pectus vergit, paullo latius esse iubet. Sectionem inchoat, (Tabula V. Figura I.) in interna humeri parte, et quidem in suprema musculi deltoidei origine, quae iuxta pectoralis musculi superiorem sedem est, ita quidem ut sectio deorsum producat, per illum deltoidei marginem, iuxta quem pectoralem musculus descendere notum est. Vbi scalpellus infra deltoidei terminos iam descendit, versus externam partem transuersim decurrit et deinde ascendit, ita ut semilunaris sectio efficiatur (*Then carrying on the incision almost transversely for a small space, but in a semicircular direction by ascending to the external part of the arm, as high up as the fould of the insegments in the axilla*). Altera sectio ab acromio incipit, ita ut per musculi deltoidei longitudinem descendens, in media fere priore sectione terminetur. His peractis interna carnis lacinia deglubitur. Musculus pectoralis tali ratione nudatus, iuxta os humeri disseccatur. Si vasa nondum satis conspiciuntur, caput externum bicipitis discinditur. Tandem vasa deligantur peculiati acu (vid. fig. 2). In describendo deligationis negotio valde longus est Celeberr. BROMFIELD. Nihil tamen in illa re peculiare habet. Carnis lacinias ope *suturae inserruptae*, confuit. Si acetabulum carie non est exesum, cartilagineum eius abradit, ut materiae carnosae pronentus sollicitetur (p. 234). Magna est in illa methodo diligentia, quam aegro molestam fore, fere timendum est.

Methodus H. F. DAHLII (p. 250. 251).

SECT II. DE FEMORIS ARTICVLO
EXCINDENDO.

Litteraria narratio (p. 252 seq.). An haec
chirurgia vnquam tentari possit? (p. 254 seq.)

WOHLERI methodus (p. 255—257.) a
qua parum differt methodus PUTHODI (p.
257).

MORANDUS iubet, tenaculo apprehendere caput
femoris et sic adductum emouere, Opuscules de
Chirurgie l. c.

Methodus LALLOUETTI (p. 257—259).

Methodus RAVATONI, cur admitti non
possit (p. 259—261).

Methodus a Clariss. MOUBLET proposita
(p. 262).

SECT. III. CRVS ET BRACHIVM
AN POSSIT DE ARTICVLO EXCINDI.

BRASDOR ET MOUBLET articulorum chi-
rurgiam vehementer commendant. Abutun-
tur veterum auctoritate. Veterum loci non-
nulli explicati (p. 262—265).

Quomodo intelligendus sit HILDANUS et
PAREUS, qui hanc articulorum curationem
vsurparunt (p. 265—267). Huius difficultas
(ibid. seq.) An, vel propter ligamentorum ac
tendinum hebetudinem, bene possit de hac
chirurgia sperari (p. 268. 269).

In cubiti chirurgia quae difficultas (p.
270).

SECT.

SECT. IV. MANVVM ATQVE DIGITORVM AD ARTICVLOS AMPVTATIO.

In manu laudatur. De ea re obseruationes quaedam (p. 271).

Si digiti quaedam phalanga vitiata est, tunc de articulo potest excindi; integram expedit scalpro tollere. CAMPERI auctoritas (p. 272. 273).

Si digitus quidam totus demendus est, quid faciendum? HILDANI methodus commendatur (p. 273. 274).

In digitis pedis scalpri chirurgia rursus laudatur (p. 275. 276).

Pes extremus an possit de articulo excindi? (p. 276. 277).

FINIS

Partis primae.



EMENDANDA:

- p. 4. not. 5. qui l. *quae*.
- p. 12. delatum l. *delatam*.
- p. 17. l. *oscillationem ibi*.
- p. 21. ostendi l. *ostendit*.
- p. 26. ad modum venae l. *ad modum*.
- p. 33. deletur l. *2 vidit*.
- p. 44. peruersitas l. *peruersitas*.
- p. 45. resorptioni l. *resorptioni*.
- p. 53. ademptae l. *ademptae*.
- p. 59. attoli l. *attolli*.
- p. 60. rude l. *rudi*.
- p. 62. transferri l. *transferri*.
- p. 63. matetia l. *materia*.
- p. 64. euiliuit l. *euiluit*. Idem error vel mea, vel typographi negligentia extat p. 93. et p. 110.
- p. 71. not. 40. soluendami inflammationem l. *soluendam inflammationem*.
- p. 77. Septembre l. *Septembri*.
- p. 101. causis qui l. *causis quae*.
- p. 113. not. 9. vietur l. *videtur*.
- p. 117. illud fugiendam l. *fugiendum*.
- p. 119. ab illo plerumque errore l. *plerorumque*.
- p. 132. ibidum l. *ibi*.
- p. 152. testitisset l. *testitisset*.
- p. 160. decliui l. *declui*.
- p. 162. instituerentur l. *instituerentur*.
- p. 163. illa plerumque esse solent l. *solent*.
- p. 167. ielubns l. *ictibus*.
- p. 174. feudu l. *fendu*.
- ibid. Not. 47. graudes l. *grandes*.
- p. 179. tenacula l. *senaculo*.
- p. 190. circuitum l. *circuitum*.
- p. 191. not. 73. per. l. *par*.
- p. 199. placeant l. *placens*.
- p. 210. repetiit eam. l. *eum*.
- p. 230. not. 160. decurtandorum l. *decurtandorum*.
- p. 242. Eperitiff. l. *Expertiff*.
- Minus recte passim scripsi aliquando pro quandoque.

